QK. 246. 24

Zb 5175

# ELOGIVM

VIRI OPTIMI DOCTISSIMI ET CLARISSIMI

# IOANNIS CONRADI HAKE

NORDHVSANI

GYMNASII QVOD APVD NORDHVSANOS FLORET PER VII ET QVOD EXCVRRIT ANNOS CONRECTORIS ET PER I ANNVM ET VIII FERE MENSES RECTORIS GRAVISSIMI ET OPTIME MERITI

SCRIPTVM

AB IPSIVS DISCIPVLO CONSANGVINEO AMICO ET CIVE

IOANNE CAROLO VOLBORTH

REGII SEMINARII PHILOLOGICI IN ALMA GEORGIA AVGVSTA SODALI.

Τέχνη δ' ἀνάγκης ἀσθενεστέρα μακρῷ.

*Aeſchylus.*

FRANCOHVSAE

EX OFFICINA COELERIANA MDCCLXXII.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-800687-p0001-5

Hic liber — profeſſione pietatis aut laudatus erit, aut excuſatus.

*Tacit. vit. Agric.*

VIRO

ILLVSTRI

EXPERIENTISSIMO ET DOCTISSIMO

# LVDOVICO CHRISTIANO PEZOLT

ISLEBIENSI

ARTIS SALVTARIS DOCTORI ET APVD NORDHVSA-NOS PRACTICO CELEBERRIMO

COMITI PALATINO CAESAREO ET SERENISSIMO PRINCIPI SCHWARZB. RVDOLST. A CONSILIIS MEDICIS SOCIETATIS NATVRAE CVRIOSORVM SODALI NEC NON TEVTONICIS REGIAE GOETTINGENSI ET DVCALI IENENSI ADSCRIPTO

ANIMI ET SANGVINIS PROPINQVITATE

SIBI CONIVNCTISSIMO

HANC

SANCTIS BEATI AMICI MANIBVS

ADPROBATAM QVALEMCVMQVE

PIETATEM

SEQVE IPSVM

PRO OMNIBVS IN SE COLLATIS BENEFICIIS

OFFICIOSE ET PIE

D. D. D.

IOANNES CAROLVS VOLBORTH.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-800687-p0003-6

O *quem Te memorem, vitae pars maxima noſtrae!*
*Anne patrem? monitis Tu pater alter eras.*
*An fratrem? ingenuam portas in pectore mentem,*
*Et priſcis ſeclis ſimplicitate parem.*
*Artis Apollineae laudes ſuper aethera ferrem,*
*Expulit et febres quas Tua fauſta manus:*
*Sed Tua relligio ferret non talia, virtus*
*Carmine digna gerit, non petit ipſa cani.*
*Mente colam tacita memoranda per vltima ſecla*
*Facta Tua & grates mens feret alta pias.*
*Quem fleuere piis lacrimis iuueneſque ſeneſque,*
*Gaudebas ſociis annumerare Tuis:*
*Accipe nunc vultu, illuſtris Pezolte, benigno*
*Haec monimenta, bono quae mea Muſa dicat;*
*Quoque Tuum Niſum complectebaris amore,*
*Hoc, precor, exornes Euryalem (*) iuuenem.*

Quum

---

*) *cf. Ouid. Triſt. I. 5, 23. 24, & ibi Interprett.*
*Si non Euryalus Rutulos cecidiſſet in hoſtes,*
*Hyrtacidae Niſo gloria nulla foret.*
*Coll. 8, 33. 34.*
*Euryali Niſique fide tibi, Turne, relata,*
*Credibile eſt lacrimis immaduiſſe genas.*




Quum ea, quae humanae in hac vita imbecillitati contingere poteſt, felicitas magna ex parte inde metienda ſit, quo maior ad communem vtilitatem aliquid conferendi copia & opportunitas data fuerit, quumque nihil habeat nec fortuna humana maius, nec natura melius, quam, vt quamplurimis prodeſſe et poſſimus et cupiamus: eſt omnino inter ſumma, et optimo cuique iucundiſſima et exoptatiſſima, quae a diuina prouidentia in genus mortale proficiſcuntur, beneficia numerandum, ſi cui contigit longioris tranquilliorisque vitae vſus, et poſt longam bene et praeclare factorum ſeriem ſenectutis dulcis fructus, in quo, velut poſt longam dubiamque nauigationem in portu, poſſis adquieſcere (a).

 Sed

a) Digna ſunt, quae hic adſcribantur, verba *Aeſchyli* in *Prometh. v. 536. ſqq.* Ἡδύ τι θαρσαλέαις Τὸν μακρὸν τείνειν (i. e. ἐκτείνειν, vt etiam Latini poetae *factis extendere vitam*) βίον Ἐλπίσι, φαναῖς θυμὸν ἀλδαίνουσαν ἐν εὐφροσύναις - κ. τ. λ.

Sed hoc felicitatis humanae quaſi culmen et faſtigium, quo altius eſt, et quo magis optandum, vt omnes boni illuc perueniant, eo tamen rarius, vt rerum vſus ita quemque docet, attingitur. Si enim vel paullulum ad eos oculos circumferimus, qui nobiſcum naſcuntur, et vitam ſimul ingrediuntur, haud difficile erit perſpectu, quod et harum rerum iudices et arbitri, in primis b. *Sueſsmilchius* (b), dudum obſeruarunt: plures in iuuentute, quam in ſenectute emori, et quidem eos plerumque citius diem obire ſuum, quibus natura meliorem indolem largita erat, et animum dederat ad praeclara quaeuis adſpirantem, generoſiorem, celſiorem, et maioribus, velut organis, ad omne rectum et bonum commotum. Siue enim id ita humana imbecillitas fert, neque per leges naturae aliter fieri poteſt, quam, vt cum animo molliori, ſubtiliori et ſimpliciori corpus fere infirmius et minus validum ſit coniunctum; ſiue etiam homines, quo viuidiores animo ſunt, eo procliuiores et proniores ad vitia et libidines in prima iuuentute inueniri ſolent, quarum quidem veneno ſi in prima aetate ſemel infectum et corruptum eſt corpus, haud ſcio, an facile poſſit ad priſtinum robur reſtitui, etſi ad meliorem frugem deinde illi redierint; ſiue tandem nimia lucubratio corporis vires infringit; quod quidem hoc loco non eſt ſagacius indagandum: hoc tamen, quod ex omni hac commemoratione confici velim et euinci, videtur mihi extra omne certamen poſitum eſſe: paucis tantummodo, ex praeſtantiorum quidem adoleſcentium numero, id contingere, vt ſenectutem attingant. Quum tamen eius vitae, quae officiis, factis, virtutibus, prudentia, conſilio ſpectatur, non, niſi adulto ac virili aetati vſus concedatur; quum praeterea iuuentus a pleriſque pueriliter fere tranſigatur, et plerumque paullo ſerius perſpiciatur, quomodo quamplurimis prodeſſe poſſimus, *Quo ſit amore parens, quo frater aman-*

b) *in der Ordnung Gottes cet. T. II.*

*amandus et hoſpes, quid patriae debeamus, et quid amicis* (c): quid omnibus bonis magis eſt optandum, quam, vt iis contingat, vltra iuuentutis limites vitam extendere, et pueritiae luſu depoſito ad ſeria progredi, et aliis, vt viros decet, factis, virtute, meritis eſſe emolumento? Quod ſi vero huius ipſius felicitatis, quae in iuuandis amicis, et in vtilitate rei publicae et ciuibus adferenda ſpectatur, vſus conceſſus fuerit, ſi ſenectus prouectior contigerit, paullo diuturnior, et plenior, quid poteſt cogitari dulcius? Quid iucundius? Quid bonorum vnicis votis dignius et magis expetendum a diuino rerum humanarum arbitro? in primis ſi contigerit ferre honeſtae et tranquillae ſenectutis praemia, et poſt longam et acerrimam in hac vita militiam, tamquam ſtipendiis emeritis, ſtatione poſſe decedere? Praeſertim quum Deus, quo maior in hac vita virtus noſtra fuerit, eo maiorem etiam in futura fore felicitatem noſtram, per rationem et per ſacras litteras, velut voluntatis ſuae nuncias, nos fecerit certiores.

Hunc itaque, propter maiorem ad virtutem, ſapientiam et prudentiam opportunitatem, (d) vitae longaeuae honorem et pretium quum ſtatuam, omneſque mecum cordatiores eſſe ſtatuturos, non

c) *Horat. ad Piſon. 310. ſqq.*

d) *Themiſtoclem, quum annos natus centum & ſeptem moreretur, cum Natura poſtulaſſe accepimus; quod tunc egrediendum eſſet e vita, quando vſu longo ſapere didiciſſet.* Verba ſunt b. *Hieronymi in epiſtola ad Nepotianum.* Sed ibi pro Themiſtoclis nomine *Theophraſti* ſubſtituendum *Caſaubonus*, vir ſummus, monuit ad *Theophraſt. Charact.* p. 100. *ed. Brunſv.* Vide et praeſtantiſſimam *Caſauboni* Dedicationem *Polybio* ſuo praefixam, p. 3. ſ. f. quae etiam *Gronouiani Polybii* tomo III. praefixa eſt & in *Erneſtiano* recuſa, in qua legenda et relegenda immenſum eſt quantum recreamur et recreati ſumus.

non dubitem; non me fugit, eſſe etiam, qui in hac re in alia omnia diſcedant, et id potius in magnae felicitatis loco habendum eſſe putent, ſi in primo iuuentutis flore a vitae humanae ſtatione a Deo auocentur: ſi quidem in hac tenera aetate animus ab omni impuritatis macula et labe integer ſit, et Deo, a quo ortum traxerit, ſimillimus. Ad quorum quidem partes me adiungerem, quum ſit aliqua ipſorum ſententiae ſpecies, niſi ab illis ipſis concedendum eſſet, vitam longaeuam pure, innocenter et ſecundum virtutis praecepta tranſactam eſſe breui iuuentutis, licet ſanctiſſime et puriſſime tranſactae, ſpatio longe anteponendam. Interim ſenſiſſe cum his videntur ii, qui in immaturae mortis laudes euagati veteres auctores paſſim reperiuntur (e). Scilicet et ego mature vltimum ſubire fatum mallem, praeſertim quum Cronegkius, Kruegerus, Brawius, Seybertus, et multi alii viri boni et clari, quum morerentur, ſummum ſui nobis deſiderium reliquerint, ſi longaeuam vitam non, niſi vitiorum labe inquinatam, protrahere liceret. Sed ſi quis, qui ad virtutem, ſine qua nulla poteſt eſſe hominum felicitas, et ad quam colendam exercendamque a creatore in hanc vitae ſtationem ſumus collocati, omnia retulit, ſi is inter optima conſilia et facta ad tranquillam ſenectutem peruenit, is mihi ſummam felicitatis humanae videtur conſecutus.

Quae equidem quum ita ſe habere exiſtimem, quumque ad felicitatem humanam pertinere arbitrer, vt diuturnum virtutis ſuae fructum,

e) Quem fugit *Menandri* illud: ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσι, ἀποθνήσκει νέος? cf. *eius fragm. p. 46. ex Plut. Conſ. ad Apollon. T. II. p. 119. F. Stobaei Serm. nr. CXIX. p. 602. nr. CXX. p. 608.* pluraque in hanc rem diſputata ab illuſtri *Heynio*, praeceptore ad extremum vitae halitum colendo, in *memoria Fridr. Chriſt. de Buchwaldt Goett. 1765. & in memoria Alexandri Baſilii F. Smirnoff Goett. 1770.*

fructum, crebram et frequentem copiam eius excolendae ac perficiendae, multaque tempora et opportunitates praeclare de aliis merendi quiſque nactus ſit; ne eos, qui vel ſe ipſos praematuro fato occubituros praeſentiunt, vel qui cognatorum amicorumque acerba morte contriſtati ſunt, inani metu adficiam, eſt mihi in primis videndum. Ii vero id velim cogitent: Deum etiam futura praeuidere, intima pectoris ſcrutari, et, quae nos, ſi longius vixiſſemus, perpetraturi fuiſſemus, certiſſime praeuidere, ea eodem loco, quaſi iam a nobis eſſent peracta, habere. Quae quidem ex ratione ſana et ſacrarum litterarum inſtitutione orta cogitatio me ſemper erexit, quoties ex amicis aliquis, ſummo virtutis ſtudio accenſus, acerba tamen morte ereptus, mihi eſſet lugendus, et nunc etiam eadem cogitatio animum erigit, quum mihi id oneris impoſitum eſſe videam, vt viri, ſi quis alius mortalium, longiori vitae vſu digniſſimi memoriam ciuibus meis commendem. Mortuus eſt, o vtinam haec calamitas patriae meae poſt ſerum demum annorum anfractum inflicta fuiſſet! mortuus eſt IOANNES CONRADVS HAKE, iuuentutis Nordhuſanae ad omne verum et bonum formator, vir bonus, ciuis probus. Praematura morte mihi ereptus eſt is, cui, quidquid in me eſt litterarum humaniorum ſtudii et amoris, debeo; lugeo ego amicum, praeceptorem, cognatum: qui, ſi nihil aliud haberem, quod acceptum ei referrem, mihi eſſet ob id ſolum immortali memoria et amore proſequendus, quod me primum ad litterarum ſtudia excitauit, quodque ei hoc debeo, quod, quum ad hanc almam Georgiam Auguſtam accederem, illuſtri HEYNIO non plane diſplicui, et ſcholis eius non ſine aliquo fructu potui intereſſe.

Sed temperanda eſt mihi oratio, ne in laudationem erumpat, quae huic ſcriptioni non eſſet accommodata, quum id ſolum mihi demandatum ſit pietatis officium, vt viri de re publica bene meriti vitam, mores, facta breuiter, velut in tabula, poſteris ciui-

 bus,

bus, rerum praeteritarum curioſis, proponerem, et quidem ita, vt ne ſtudio amoreque viri immortaliter de me meriti abreptus, a ſimplicitate veritatis aberrarem. Ad quod quidem munus, quo haud ſcio, an vllum mihi triſtius vmquam ſit impoſitum, me euocauit in adflictam coniugem, triſtem fratrem, moerentem ſororem pietas, quod non ignorabant, fuiſſe ſummam inter deſideratiſſimum hominem et me familiaritatem, noſſe me, quae ad ipſum pertinerent, fere omnia, quippe qui ſex, et quod excurrerit, annos ipſum audiuiſſem, et, quae eius fuerit indoles, quae natura, vſu quodam meo edoctus eſſem. Fuit praeterea huius viri vita ita bonae frugis plena, vt eius narrationem fore ſperem perutilem omnibus, qui mecum eius diſcipuli fuerunt, vbi animaduerterint, quomodo iſte vir ad id, quod fuerit, eniſus ſit, quomodo omnia virtutis et laudis impedimenta vicerit, et quomodo virtuti laus ſit conſtituta perennis. Cum autem, quae de viri boni vita et moribus traditurus ſim poſteris, a bonis tantum legi velim probarique, qui, quum de hominum exiſtimatione et laude quaeratur, non, quae ipſis fuerit apud exteras nationes fama, quae nominis celebritas, qui domus ſplendor, quae tituli ambitioſa magnificentia, inquirant, ſed id potius ſcire cupiant, quae ipſorum fuerit in rem publicam fides, quae in Deum homineſque pietas, et quae tandem in munere obeundo dexteritas, fides ac religio; neceſſe mihi non eſt, id, quod ſuſcepi, officium excuſare, quin potius omnium bonorum iudicio flagitioſe facerem, ſi, quod magiſtri iuuentutis meae vitam deſcribendam inſtitui, me excuſare vellem. Qui enim tam praue, tam turpiter iudicant, vt ludorum litterariorum magiſtros, qui futuros ciues ad omne bonum et rectum formant, et qui iure quodam ſuo apud antiquos populos in ſumma erant dignitate conſtituti, deſpiciant et contemtui habeant, ii, ſi vel celeberrimi viri facta moreſque poſteris narrarem, vereor, vt me legant.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-800687-p0010-5

gant. Caeterum nondum ita ad omnem prauitatem prolapſum et corruptum eſt hoc ſaeculum, vt omnes hoc vitae genus, quod in formanda iuuentute verſatur, nauci faciant: ſunt adhuc et ſupererunt, qui melius de his viris ſtatuendum putabunt. *Quod enim*, vt cum Tullio (f) loquar, *munus rei publicae adferre maius, meliuſue poſſumus, quam ſi docemus atque erudimus iuuentutem? his praeſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, vt omnium opibus refraenanda ac coercenda ſit.*

Sed ad rem ipſam, cuius cauſſa haec praefata ſunt, accedamus neceſſe eſt. Vbi itaque primum, quae viri a primo inde in vitam ingreſſu, dum ad rem publicam accederet, vitae ratio fuerit, breuiter expoſuerimus, declarabimus etiam, quomodo munere ſibi demandato in rei publicae vtilitatem functus ſit; et tandem luctuoſiſſimum officium ſuſcipiemus, quod quidem in eo verſabitur, vt boni viri praematuram mortem indicemus. Ita enim ab eo, quem rerum natura ipſa praecipit, ordine non plane receſſuros nos fore confidimus. Dabunt autem viri docti, ſi qui forte ad hanc qualemcumque ſcriptionem acceſſuri ſint, cum meae iuuentuti, tum dolori meo, quo animus, tam graui caſu perculſus, opprimitur, veniam, ſi in orationem inciderint interdum minus terſam ac caſtigatam; quam quidem eorum humanitatem ad recreandum animum meum ex tanto moerore non parum valituram eſſe ſpero.

Natus igitur eſt IOANNES CONRADVS HAKE Nordhuſae VII. Idus Apriles CIↃIↃCCXXXIII. parentibus honeſtis, patre quidem ANDREA STATIO, viro bono et prudente, collegio ſartorum praefecto, matre IOANNA CATHARINA e gente PAPENIA, cuius pater eiuſdem collegii in ordine ſenatorio huius vrbis interpres et orator fuerat. Fuit noſtro a prima inde aetate is ad omne verum et bonum fere impetus, ea ad bonas litteras animi contentio, vt optimi parentes eum mature in



f) *de Divinat. II. 2. 4. ed. Ern.* loco ornatiſſimo.

in Gymnaſium, quod in vrbe Nordhuſana floret, deducerent, in quo quidem in artibus liberalibus, quibus ad humanitatem formari ſolet tenera aetas, imbueretur. Inter cuius magiſtros maximi ſemper fecit, et nobis iterum iterumque laudauit, Rectorem, IO. EVSTACHIVM GOLDHAGEN, Nordhuſanum, qui nunc ludo cathedrali apud Magdeburgenſes non ſine priuata publicaque laude praeeſt, cui etiam id ſemper acceptum referebat, et debere ſe profitebatur, quod non a litterarum ſtudiis auocatus fuiſſet, quod quidem parentibus, quorum res minus lautae erant, et qui filium ad idem vitae genus, in quo verſarentur ipſi, adducere malebant, in animo fuiſſe, nobis ſaepe declarauit. Eo vero humaniſſimo viro, cui non poſſumus non de bonae ſenectutis tranquillitate, qua bene fruitur, vel hic publice gratulari, Magdeburgum euocato, atque illuc multas ob cauſſas, quas hic commemorare non attinet, proficiſcente, paullulum temporis etiam ſub beati M. IO. ANDREAE FABRICII V. Cl. Rectoris diſciplina eadem virtutis ſapientiaeque laude ita ſe geſſit, vt tum iam caeteris modeſtiae virtutiſque exemplo eſſe poſſet luculentiſſimo. Sed mox anno CIↃIↃCCLIIII. abitu facto ad doctas Jenenſium Muſas, quae tunc in ſumma celebritate erant, iter ſuſcepit, vbi frater, vir nunc reuerendus, BENIAMINVS OSWALDVS HAKE, ad D. Nicolai in patria verbi diuini Diaconus, iam aliquid temporis erat commoratus. Vixit ibi, vt nunc etiam ciues eius Nordhuſae in vtraque re publica verſantes, inter quos etiam ſunt, qui magiſtratus gerunt, teſtantur, modeſte, caſte, et ſancte, vt futurum theologum decebat. Erat in ipſo ſumma diligentia et induſtria conſpicua, quam tamen non in eo ſolum finiebat, vt omnia, nullo habito diſcrimine, litteris mandaret, quae in collegiis paſſim proferebantur; vt ſolent, qui, quo magis vacuam mentem, eo refertiores ſchedulis ciſtas domum reportant: ſed, quae a praeceptoribus acceperat, ea, domum reuerſus, iterum meditando adſequi ſtudebat, ſub animi iudicium

voca-

vocabat, et, intenta ingenii acie, recta ſeparabat falſis, et obſcuris plus dare lucis allaborabat, atque ita explorata demum neque adulterata in ſuccum, quod aiunt, et ſanguinem conuertebat. Solebat in primis audita in tabulas quaſdam redigere, quo melius ipſorum forma ac ſpecies oculis obuerſaretur; plurimum vero temporis auctoribus Graecis Latinisque, quos diurna nocturnaque manu verſandos ſemper iudicabat, impendebat et conſecrabat, longe remotus ab illis, qui iſto tempore, pruritu quodam philoſophandi adfecti, omnia contemnebant, quae non ad *Barbara* et *Celarent* erant accommodata. *Vera*, mihi ſaepe aiebat, *et humana philoſophia, quam in Federi tui ſcriptis deprehendere gaudeo, in veteribus auctoribus latet, quam qui in illis non inuenit, nae ille eam numquam inuenturus putandus, et ab ipſius ſtudio fere abigendus videtur.* Praeceptores vero Jenenſes in primis veneratus eſt et audiuit VV. Cll. WALCHIVM, venerabilem ſenem, ſua et eruditione, et virtute, et filiis magnis immortalem, REVSCHIVM, HIRTIVM, DARIESIVM, SVCCOVIVM et SCHMIDTIVM. Biennio ita Jenae peracto; longius enim ibi commorari, nec res anguſtior domi, nec iſtius temporis ratio ſinebat, quippe quae non ita comparata erat, vt animum eius, litterarum humaniorum dulcedine delinitum, ſatis tenere poſſet: quin etiam, defuiſſe ſibi Jenae eam, quae mihi Goettingae in humanitate proficiendi ſeſe obtuliſſet occaſio, ſaepe apud me conqueſtus eſt; patriam repetiit, vbi ipſi ſtatim munus erudiendae, quae in ὀρφανοτροφείῳ publicis ſtipendiis alitur, iuuentutis demandabatur. Fuit quidem hoc munus ex ingratorum et moleſtorum numero, ſed functus eſt eo, licet alio vocatus eſſe dicitur, ea animi ſerenitate, ea fide, quae eius erat in patriam pietas (g), vt



g) Aureum illud b. *Kleiſtii* ſaepe in ore habere, ſeque eo a rerum aduerſarum crebris in ſe conatibus tutari ſolebat:

ſuam virtutem mox huius vrbis conſulibus reliquiſque magiſtratibus probaret. Maximam vero gratiam ſibi eo apud meliores conciliabat, quod a natura ingenium ad poeſin peridoneum acceperat. Quod erat illo tempore eo maiore in honore et laude, quo maior ante ipſum in his terris neglectum fuerat, barbarie incredibili obtinente, quam ipſe GOLDHAGEN V. Cl. non ſolo patrio penitus depellere potuerat. Non ſolum ipſe carmina fudit perpulcra (h), ſed erat etiam ipſi in iudicandis aliorum carminibus eximia ingenii acies, et ſubtile animi iudicium, ita, vt paucos nouerim, quos cum ipſo comparari poſſe putem. Intra hoc temporis ſpatium bis quintum, reuerendi LVDWIGII Paſtoris ad b. Mariae virginis in valle promotione, et b. LADENSACKII, primi praeceptoris mei, morte vacuum in Gymnaſio ordinem, ſemel tertium, b. TEBELII viribus ſenio confectis, fruſtra ambiuit; nam diuina prouidentia ipſi melius proſpiciebat; quin etiam inter candidatos erat, qui vacuum ſecundi ad ſancti Petri Paſtoris locum ambibant, ſed et hic ſpes ſua fruſtrata eſt ipſum, ſi quidem amicus eius, vir reuerendus, IOANNES PHILIPPVS GRABE, Nordhuſanus, plurimis ſuffragiis electus, ipſique praelatus eſt. Interim, ſalua tamen in virum amiciſſimum pietate, commouit ipſum paullulum haec, quaſi quartum relata repulſa, prae-

*Den, der fuers Vaterland den Tod nicht ſcheut,*
*Erwartet dort ſein Himmel, hier ſein Ruhm,*
*Und Schand erwartet ieden feigen Mann.*

Conuenit fere cum hoc loco *Tyrtaei* nobiliſſimus ille:

οὐδέποτε κλέος ἐσθλὸν ἀπόλλυται, οὐδ' ὄνομ' αὐτοῦ,
Ἀλλ', ὑπὸ γῆς περ ἐών, γίνεται ἀθάνατος. κ. τ. λ.

*vid. Illuſtr. Klotzii ed. p. 67. et eius annott.*

h) Ne quibuſdam partium ſtudio haec protuliſſe videar, adiungam infra quaedam b. viri carmina, ſpeciminis loco, quae iam partim primum, partim ſecunda vice lucem adſpiciunt. Plura alia penes me ſeruantur.

praeſertim quum die ſuffragiorum ineundorum nonnulli ad ipſum confluerent pueri, qui, viciſſe eum in comitiis ſacris, fremebant gratulabundi, quoniam propter nominum ſimilitudinem, vocem praeconis non diſtincte intellexerant; ita, vt etiam de parando abitu cogitaret, quum ipſi Nordhuſa minus fauere videretur. Sed ſumme venerandi et nobis amiciſſimi Doctoris EVLHARDTI, ad D. Petri Paſtoris primi, aliorumque ſuaſu et monitu recreatus, ſede ſua remanere, quam caſu incerto abire maluit. Interim, dum haec gerebantur, viri ſumme venerabilis, Paſtoris primarii, ERNESTI CHRISTIANI OSTERMANNI, hominis omnes, qui eum adeunt, ſuis ſibi deuincientis beneficiis, gratiam, virtute ſua ſibi iam antea comparatam, iterum conſecutus eſt, quippe cui oden, quam *de hieme*, vt mihi narratum eſt, compoſuerat Latine, dedicauerat. Placuit iſti viro, vt eſt boni pulcrique ſenſu facillimo praeditus, hoc carmen, itaque eius animum quaſi deliniuit, vt ſtatim ipſum Senatui Nordhuſano, eiusque tunc principi, B. CHILIANO VOLKMARO RIEMANNO de optima nota commendaret. Non caruit ſuo ſucceſſu haec commendatio, quum iſto ipſo tempore ſecunda in Gymnaſio Nordhuſano ſparta vacua erat. Vnanimi nunc conſenſu in collegio Seniorum CIƆIƆCCLXII. menſe, ni fallor, Februario Conrector eſt deſignatus. 1762
Primus huius deſignationis nuncius ipſi fuit amicus ſummus, et Jenae quondam contubernalis, vir ſenatorius, IO. AVGVSTVS FILTER: qui quidem hoc nuncio eum ſummo gaudio adfecit, quum eius vnica ſpes iſta eſſet, vt ipſi aliquando in ſchola docendi patria prouincia obtingeret.

Obiit hoc munus cum ſumma animi laetitia, (i) et quidem eo conſilio, vt, quidquid in ipſo eſſet eruditionis et humanitatis, id ille omne ad iuuentutis vtilitatem et fructum vnice conferret: ita tamen,

i) Poteſt haec perſpici ex carmine primo, quod infra adiiciemus.

tamen, vt virtutis rationem haberet ſummam, quum probe ſciret, eruditionem, vel ſummam, fructu carere, et ſaepe in rei publicae peſtem vertere, niſi cum virtute, in qua colenda vnica humana ſalus contineatur, ſit coniuncta. Inualuerat tunc temporis in Gymnaſio patrio ridicula, neſcio quae, vitae academicae adfectata imitatio, eo perniciosior illa iuuentuti, quo minus pueri miſeri id imitabantur, quod tamen ſolum in ciuibus academicis imitatione dignum eſt, nempe prudenter in litterarum ſtudiis collocatam diligentiam et induſtriam, atque in omni vita ſanctam, et, quantum in hac humanae conditionis imbecillitate fieri poteſt, incorruptam virtutem. Iſti vero pueri ſibi perſuadebant, in licentia quadam morum, in negligentia, et Thraſonico quodam et horrido adſpectu omnem contineri vitae academicae dignitatem. Vtrum ad hanc vitae academicae adfectationem b. IO. ANDR. FABRICIVS V. Cl. qui plures annos doctor academicus fuerat, forſan bono conſilio aliquid contulerit, ſuadendo fortaſſis, vt ad ciuium academicorum exemplum ſe componerent, quod conſilium praue interpretabantur iuuenes; an haec potius communis iſtius temporis, etiam in aliis ludis litterariis, fuerit labes et macula, id penes me non eſt iudicare. Id vero ſatis perſpectum habeo, et mea ipſius experientia edoctus ſum, plurimum ad hanc maculam a Gymnaſio Nordhuſano penitus eluendam, et hoc malum radicitus exſtirpandum contuliſſe operae iſtum virum, cui iam parentamus. Erat enim, vt in horridiorem illum animi corporiſque cultum, atque ferocem virium in potando et tumultuando oſtentationem, ita et in inanem iſtam iactationem et Graeculam Francogallicamque vanitatem natura paullo infeſtior, quum nullius rei amantior eſſet, quam ſimplicitatis cuiuſdam, Germanis iam a Tacito adtributae, et ingenui animi, quem quidem cum iſta licentia et vana oſtentatione poſſe coniunctum eſſe negare ſaepe ſolebat.

Com-

Commiſſa hac b. HAKIO Conrectoris prouincia, ſumma ciues meos exſpectatio tenebat, fore, vt triſtiores illae, quae hactenus inter b. FABRICIVM et eius collegam, nequaquam in Gymnaſii commodum, interfuerant ſimultates, et iurgia, nunc tandem pro ea, quae de HAKIANI animi lenitate et ad pacem pronitate apud omnes fere fama erat et exſpectatio, componerentur. Nec iſta de viro optimo concepta ſpes fefellit. Fuit vltra biennium inter b. FABRICIVM, praeceptorem olim ſuum, nunc collegam, id amicitiae vinculum, ea, pro officiorum neceſſitudine, animi etiam coniunctio, vt, his duumuiris ad omne bonum et rectum conſpirantibus, ſi quidem in altero ea erant, quae in altero deſiderabantur, omnia, quae a tali Gymnaſio exſpectari poſſunt, eſſent exſpectanda; et ſpes animos ſubibat, fore nunc, vt ad priſtinam dignitatem rediret, quae ſeculis XVI. et XVII. NEANDRO, magno viro, FABRO, RIVINO, et HILDEBRANDO in illo docentibus, apud exteras etiam nationes fuiſſet. Sed, velut ſorte quadam Lycei iniquiore, et hoc animorum vinculum mox diſſolutum eſt, quod, quomodo factum ſit, quum in omni hoc elogio temporis, quo quidque factum ſit, rationem ſequi mihi in animo propoſuerim, ſuo loco et ordine indicabo. Nunc quidem ad recenſenda ea redeo, quae, vt ita dicam, in pace, HAKII quidem culpa non amiſſa, geſta ſunt.

Anno fere muneris inter quaeuis ſcholae commoda et bona et exterorum etiam frequentiam praeterlapſo, data eſt a ſummo rerum mortalium vindice et moderatore, Numine ter optimo, maximo, quam vniuerſa Europa ardentiſſimis votis expopoſcerat, pax illa Hubertiburgenſis. Cuius quidem cauſſa quum feriae, et ex SCto, et ex vniuerſi populi, id quidem animis laetiſſimis ſignificantis, iuſſu indicerentur celebrandae, nactus eſt beatus vir iucundiſſimam, quae ſui ingenii ſit indoles, qui patriae amor, oſtendendi et declarandi opportunitatem. Quod enim, inter alia feſtorum dierum ſolemnia, et carmina ab ipſo compoſita, Muſis in publico ex-

ſtruebatur templum, et noctu multis millibus lampadum et lucernarum illuminabatur, eius inuenti et excogitati laus et ars partim illi, partim etiam celeb. artifici et caelatori MEILIO, Ilfeldenſi, debita erat. Hanc vero ſupplicationem eiuſque ſolemnia, quum beatus vir ſingulari libello, inter ſcripta eius infra laudando, expoſuerit, et rem omnem narrauerit, addita etiam iſtius templi in aere excuſa delineatione, plura de hac re hic memorare non quidem attinet.

Excepit hunc noui muneris, in ſpem patriae ſuſcepti, auſpi-
1763 ciis inſignem annus feliciſſima eiuſdem adminiſtratione non minus inſignis. Dedit ipſi hic annus occaſionem, praeter moderationem et animi lenitatem, etiam, quae in ipſo recondita eſſet vis oratoria, declarandi. Conſule enim CHILIANO VOLKMARO RIEMANNO, (k) viro

k) Auctor eſt etiam b. V. Inſcriptionis, quae in Epitaphio Riemanniano a celeb. Meilio inuento et in S. Petri coemeterio exſtructo, legitur:

MEMORIAE SACRVM
HEIC
VIRTVTE FACTIS FAMA
VIR IMMORTALIS
CHILIANVS VOLKMARVS RIEMANNVS
RE PVBLICA NORDHVSANA
QVAM BONIS OMNIBVS ADPLAVDENTIBVS SVSCEPERAT
CONSILIO PRVDENTIA LEGIBVS FIRMATA
EADEMQVE
ANNOS XXXVIII
FORTITER ADMINISTRATA
CONSVL ET PATER CIVIVM OPTIMVS GRAVISSIMVS
QVIDQVID MORTI OBNOXIVM FVIT
N. A. LXXVI CIϽIϽCCLXIII D. XVII IVL.
DEPOSVIT
CINERIBVSQVE CONIVGIS LECTISSIMAE
FEMINAE HONESTISSIMAE
MARIAE EVPHROSYNAE TITIAE
AET. LXX CIϽIϽCCLIIII D. XXV. MAI. MORT.
MISCVIT
PATRI D. S. B. M. E. CVR.
IOANNA AVGVSTA EVPHROSYNA NVPT. FILTER
GEORG. GVENTH. FRIEDR. RIEMANN
MARIA SOPHIA NVPT. STRECKER.

viro ſummo, hoc anno, grauiſſimo rei publicae caſu, morte erepto, demandatum eſt ipſi a familia tam graui luctu afflicta, vt tanti viri res geſtas curataſque, mores et de patria immortaliter merita, longo inde tempore etiam apud exteros comprobata, publice ciuibus in b. Petri templo exſequiarum cauſſa congregatis, quaſi iterum in tabula, proponeret, ipſique laudationem funebrem haberet. Fecit hoc, ipſi enim vidimus, et audiuimus, et impetu oratorio quaſi perculſi ſumus, eo animi corporiſque robore, eo ſententiarum pondere, ea verborum copia, vt hac quidem oratione, iuris publici deinde facta, non mediocrem oratoris exiſtimationem conſequeretur, quam deinde orationibus quibuſdam pro concione ſacra habitis non parum auxit. Fuit et hic annus pace cum collega inſignis. Biennio ita in pace, inter publica et priuata Gymnaſii incrementa, 1764
ſuaeque virtutis ornamenta, peracto, tertium muneris annum auſpicatus eſt, non quidem ita laetum, vt ipſe et boni omnes in votis habebant, tamen multis modis memorabilem.

Creſcente enim nunc magis magiſque diſciplinae HAKIANAE, etiam in vrbi vicinis regionibus, fama et opinione, confluxerunt vndique, qui, ſi huius viri contubernio et menſa vti poſſent, filios ſe ſuos Nordhuſam miſſuros eſſe ſignificarent. Quos tamen quum beatus vir, quoniam coelebs erat, non commode hoſpitio excipere poſſet, mouit et haec res animum, vt de contrahendo matrimonio cogitaret: praeſertim quum pro ingenii ſui feſtiuitate et vrbana elegantia habere cuperet, quacum intimiorem familiaritatem inire, et vitae conſociatae dulcibus gaudiis poſſet perfrui. Amauit vero ELISAB. SOPHIAM e gente LERCHIANA, quae in patria mea ſummos honores geſſit; patre ANDREA, mercatore, ciue honeſto et nunc adhuc viuente, et patruo, ſene venerabili, IO. ERICO, faſces conſulares tenente. Duxit hanc virginem, rite celebratis ſponſalibus et nuptiis, domum menſe Auguſto. Fuit hoc connubium, licet liberis orbum,

 tamen,

tamen, ſi his oculis, per plures annos, aliquid vidimus, tam laetum, dulce, iucundum et ab omni diſcordiarum ſemine remotum, quam quod maxime.

Enimuero hoc temporis ſpatium, inter b. viri laetiſſimos dies referendum, continet fere prima triſtium nefandarumque, quibus proh dolor! ipſi interfuimus, diſcordiarum ſemina, quae inter illum, et collegam, b. FABRICIVM, deinde obtinuerunt. Quae iniuriae et rixae originem quomodo traxerint, et factum ſit, vt ſenex iſte, qui vltra biennium paterno fere animo iuniori collegae indulſerat, ſuaui adloquio timidiorem excitauerat, bibliothecae inſtructiſſimae opibus minus inſtructum adiuuerat, nunc ſtatim, velut depoſita, quam hactenus ſuſceperat, perſona, infeſtiſſimo in eum eſſet animo, vtque ex altera parte noſter HAKIVS antea lenis, manſuetus, moderatus, obſequioſus, nunc grauior, immitior, incitatior, acerbior contra illum inſurgeret; quo minus, quae mihi nota ſint, adferam, religione quadam animi impedior. Si enim, quod alias eum facere decet, qui narrationem ſuſcipit, huius diſcordiae cauſſas primas vellem proferre, partim incumberet mihi triſte illud negotium, vt mihi interdum de praeceptoribus, aeternum mihi colendis, ea dicenda ſint, quae pietas mea dicere ſubterfugit; partim etiam haec noſtra aetas, in qua viuimus, talia non ferret, quippe quae ab iis, qui forte hoc malum conflarunt, nondum ſatis remota eſt. Mitto itaque hanc elogii mei quaſi triſtiſſimam partem, quam omnino praeternauigaſſem, velut ſcopulum, in quo facile offendi poſſit, niſi mihi fuiſſet veritati ſtudendum, et hac, aliqua tamen, commemoratione ſuſpicio illa euitanda, me ſtudio b. HAKII abreptum tantum in laudibus eius haeſiſſe. Sed ne haec quidem inutiliter prolata videbuntur, quum inde perſpici poſſit, paſſum eſſe et hunc virum ſuos Manes, neque tam praeclare agi cum imbecillitate humana, vt virtus noſtra ſit ab omni parte perfecta. Equidem in eo ſo-

latium

latium quaero, quod noſter non primus fatalis huius diſcordiae cauſſas ſeuit, ſed creberrimis offenſionibus incitatus, tandem aliquando innatam manſuetudinem ad tempus depoſuit, vt ſalſa atque lepida quadam acerbitate, qua deſtitutus a meliori auxilio, vnice poterat, ſe a ruſticiori quodam impetu defenderet. Tranſeo ad meliorem vitae partem, in qua virtus eius eo magis eminuit.

Venio nunc ad alium locum, qui quam maxime lubricus eſt, et in quo tractando ſubuereor fere, ne, niſi labar, tamen offendam. Quum, vt in omni omnino puerorum inſtitutione, ita et in primis in oratore formando, permulta eſſe ad elocutionem, memoriam et pronunciationem referenda, et TVLLIVS FABIVSque, ſummi ſane viri, et in hac cauſſa teſtes locupletiſſimi, tradiderint, et id etiam rerum vſus et natura edoceat: nihil fere fuit, cui, praeter poeſeos ſtudium, beatus vir, quippe qui ipſe ad oratoriam artem natura paullo pronior erat, ſtudendum putauit pueris magis, quam vt verba ſua ad ſententias idonee accommodarent, accommodatas, velut in mentis theſauro, reponerent, et tandem etiam vocis, vultus et geſtus venuſta moderatione inde iterum depromta pronunciarent. Quae quum b. vir, de puerorum commodis bene merendi cupidus, ad ſcholam patriam vbi accedebat, neglecta, et, propter pruritum quemdam philoſophandi, fere contemta animaduerteret, omnes animi corporiſque vires eo intendit, vt huic, quaſi grauiſſimae, Gymnaſii ruinae obnitendo et fulciendo occurreret. Cogitanti itaque, et diu deliberanti, qua tandem optima via illum, quem intenderat, conſequi poſſet finem, nulla commodior viſa eſt, qua plurimorum iniucundam et raucam vocem corrigere, et oris atque vultus habitum melius et venuſtius moderari, memoriamque exercendo acuere poſſet, quam ſi, vt fabulae ſcenicae a nobis publice agerentur, curaret. Tolli enim his ipſis exercitiis et manſuefieri cenſuit multorum, liberali inſtitutione in pri-

ma pueritia deſtitutorum, aſperitatem agreſtem, et inconcinnam, et grauem, neque vllam rem aliam ſe paene ſcire adſirmauit, qua pueri ad actionem adſuefierent, quae tamen in dicendo vna fere dominaretur, ſine qua ſummus orator eſſe in numero nullo poſſet, qua inſtructus mediocris ſummos ſaepe ſuperaret; cui primas dediſſe Demoſthenes diceretur, quum rogaretur, quid in dicendo eſſet primum? cui ſecundas, cui tertias (l). Neque ſuam ſe fefelliſſe ſpem et opinionem, quum ita ſtatueret, poſtea ipſa rerum experientia eſt edoctus. Accedebat, quod inter lectionem Terentii, quem priuatim interpretabatur, multi eum pueri conuenirent, qui crebris precibus, iiſque ardentiſſimis, eum flagitabant, oppugnantes fere orando, vellet ſua etiam moderatione id peragere, quod patrum et maiorum memoria, ſub MEYERO et DUNKELBERGIO, grauiſſimis olim Gymnaſii Rectoribus, fuiſſet peractum. Feruebat quidem illa aetas nondum tam ardentibus, quibus noſtra, de ludis ſcenicis, quam ad virtutem vim habeant, diſputationibus, et quae a b. HIERONYMO FREYERO in programmate olim fuerant prolata, (m) minoris aeſtimabantur; tamen quum res nimiis fere difficultatibus premeretur, et neque theatrum, neque, quibus inſtrueretur et ornaretur, aulaea adeſſent, nec etiam, qui impenſas ad nouarum huius modi rerum molimina erogaret, inueniretur; ſubeuntibus inſuper animum, religione tactum, quae in vtramque partem de hac re et poſſent diſputari, et fuiſſent olim a primis Chriſtianis

l) Verba ſunt *Ciceronis de Orator. III. 56.*

m) *Hieronymi Freyers Paed. Reg. Inſpect. Teutſches Programma ueber die ihm vorgelegte Frage, ob ein Chriſtlicher Schullehrer anſtatt der gewoehnlichen Oratoriſchen Uebungen mit gutem Gewiſſen Comoedien ſpielen, und die ihm anvertraute Jugend dazu anfuehren koenne? Halle 1724. 4 Bog. 4.* Eſt hic libellus ex genio ſaeculi iudicandus. Quum iam et theatri et aliarum rerum alia facies ſit, vix eum perlegere potui.

ſtianis pronunciata: diu multumque haeſit et deliberauit, annueretne precibus noſtris, nec ne? Tandem, vbi cum FILTERO ſuo aliisque rei publicae proceribus collocutus eſſet, quid illis ſuper hac re videretur? ſedulo percunctatus; illiſque ipſum, vt ne, pro timiditate ſua, deſperaret, excitantibus, curandamque eſſe collectionem quamdam a ditioribus ſimul ſuadentibus: paruam cauſſam rerum maiorum molimina ſaepe continere probe ſciens, non ſe defuturum eſſe noſtris conatibus declarauit. Adfecit ſane hac ſua ſignificatione animos noſtros non mediocri gaudio. Vt rem vno verbo complectar, collatione inter quoſdam ditiorum ciuium amicos et Gymnaſiaſtas facta, theatrum qualecumque in aedibus Oppermannianis in platea dicta *vor dem Hagen*, a gente FILTERIA ſtrenue adiutus, exſtruendum curauit, fabulas agendas elegit Greſſeti Sidneyum, a me tunc e ligata oratione in vernaculam noſtram ſolutam translatum, Geſneri Eraſtum, cuius et Sidneyi perſona mihi erat ſuſcipienda, Molierii matrimonium vi coactum, et fabulam a ſe ipſo compoſitam. Actae ſunt hae fabulae ipſis nonis Decembribus et die ſubſequente huius anni, non ſine ciuium, et peregrinorum etiam, frequentia, et aliqua quoque laude eorum, qui, quid in hac re bonum pulcrumque eſſet, quid minus, vſu quodam ludorum ſcenicorum, quos Lipſiae et Brunouici frequentauerant, adſecuti erant; prologi partes ſuſtinente amico meo et contubernali OSTERMANNO. Quod vero in primis hoc loco commemorandum eſt, ita decenter et honeſte omnia peracta ſunt, vt, ſi vel Cato adfuiſſet noſtris exercitiis, ne ille quidem, quid ratione virtutis et morum reprehenderet, habuiſſet: ita beatus vir omnia ipſe moderatus erat et diſpoſuerat, ea eius erat apud omnes auctoritas, vt nemo fere pueriliter et petulanter ageret, ſed, conſilii eius memor, omnia ad virtutem et oratoriam actionem referret. Minus vero conatibus noſtris, quibus vtraque res publica, et nonnulli nobiles homines, qui in vrbem ludorum

cauſſa

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-800687-p0023-7

cauſſa confluxerant, albos calculos adiiciebant, fauebat b. FABRICIVS, licet eum, quod mihi b. HAKE narrare memini, quum Nordhuſam veniſſet, de ludorum ſcenicorum actione ipſum cogitaſſe, et, interpretibus b. HAKIO aliiſque tunc Gymnaſio adſcriptis, cum Senatu egiſſe ferant; quin id etiam mihi cognitum eſt, fuiſſe ipſi in animo, hiſtoriam illam de Carolo Magno, ſtatuam Arminio in Saxonibus dedicatam deſtruente, in theatro repraeſentare. Sed quum id, quod Brunouici, Rector ludi litterarii St. Catharinae ſacri, ab illuſtriſſimo et sereniſſimo Duce conſecutus erat, non item a Senatu impetrari poſſet, vt veſtes, caeteraque, quibus his in rebus opus eſt, aulaea exhiberet, aut certe, vbi iſta deeſſent, ſumtus, quibus hae res pararentur, erogaret, conſilium abiecit. Cuius tamen rei ipſe aliquando auctor fuerat, in eam nunc animo ſiue ſimultate aliqua priuata, ſiue ſenio aliarumque rerum odio et inuidia, mutato et exaſperato grauiſſime eſt inuectus; ita, vt iacta iam antea diſſidiorum inter collegas ſemina, hac re fouerentur magis et alerentur. Quae vero deinde actae ſint a nobis fabulae, et in quam ſpeciem excreuerit theatrum noſtrum, id ſuo anno et loco obiter indicabo. Quum tamen ſemel in hunc locum inciderim, non inutile erit, ſi hic ſtatim monebo, mutaſſe poſtea, antequam moreretur, virum bonum ſententiam ſuam, et de fabulis ſcenicis agendis, earumque ad formandos pueros vtilitate et fructu, vbi videret, omnem ſuam curam non ſufficere ad coercendam eorum petulantiam, qui rebus, vel innocentiſſimis, tamen pro ſua libidine abuterentur, longe aliter iudicaſſe; praeſertim quum noſtri theologi de hac re diſputare inciperent, quorum quidem auctoritas, et res ipſa animum ſuum, maiorem nunc rerum, ad ſcholam pertinentium, vſum habentem ita mouit, vt deinde nemo ipſum adducere poſſet ad iſtius modi ſpectacula iterum curanda. Quae ſane res, quodcumque tandem de re ſcenica iudicium ſit apud cordatiores, ſatis ſuper-

ſuperque indicat, fuiſſe noſtrum non ex eorum genere, qui, quae ſemel inſtituerunt, obſtinata mente ad finem perducere annituntur, ſed eſſe potius ad eos referendum, qui, meliora edocti, ad meliora ſe perduci leniter patiuntur.

Fui in hac re paullo verboſior, quoniam pergratum futurum videbam et credebam futuris ludi litterarum patrii magiſtris, ſi a me rem, cui ipſe interfui, et de qua nihil mandatum litteris inuenient, expoſitam viderent. Perculit grauiſſimus anno inſequente rem pu- 1765
blicam caſus, proficiſcente ad meliorem vitam, magnarum animarum ſedem, inuictiſſimo Imperatore, glorioſiſſimae memoriae, FRANCISCO, huius nominis, primo. Carmina, quae triſtibus concentibus in templo Scti Nicolai et in Gymnaſii auditorio ad luctum ſuper morte Caeſaris publicum teſtandum erant concinenda, HAKIO a Senatu mandata ſunt; qua in re iterum elegantis ingenii fructum tulit. Antequam huius triſtiſſimi caſus nuncius Nordhuſam perlatus erat, actae ſunt iterum fabulae ſcenicae, translato ex Oppermannianis in Kranertianas aedes, vbi nunc adhuc eſt, vt amplius ſpatium eſſet, theatro. Additae ſunt ſuperioribus, quae ex parte repetebantur, nouae fabulae, MOLIERII Auarus et LESSINGII V. Cl. Theſaurus; re maiora paullo, vt fit, inter ciuium ſtudia, incrementa capiente. Elegit amicus noſter his ludis eos dies, quibus grauiores, ob ferias publicas, labores intermittebantur.

Ita inter indefeſſa et aſſidua litterarum ſtudia, quae numquam intermiſit, et inter publicas priuataſque habitas ſcholas nouum 1766
annum ingreſſus, non potuit creberrimis plurimorum ciuium, et multorum etiam ex proceribus (adeo horum ludorum gratia omnes fere ceperat) precibus refragari, qui ab ipſo poſcebant, vt iterum animum ad fabulas ſcenicas publice agendas applicaret. Elegit in hunc finem celeb. Angli, Moori, Aleatorem, tragoediam omnibus

numeris abſolutam, quam deinde non ſine gaudio in Bibliotheca Berolinenſi laudari animaduertit, et VOLTAIRII V. Cl. Mercatorem Jamaicum (n), cuius in patria mea tunc ſummum erat deſiderium, redeuntibus quibuſdam mercatoribus Lipſia, vbi per nundinas hanc fabulam a KOCHIANA ſocietate repraeſentatam ſpectauerant; addita breuiori b. KRVEGERI fabella, vt etiam plebis aliqua gratia eſſet, ſatis comica (o). Summam laudem tunc apud omnes retulit, praeſertim, quoniam in diſtribuendis partibus ita cuiuſque naturae et animi indoli conſuluerat, vt non poſſet non vel ſeueriſſimis et acerbiſſimis rei ſcenicae iudicibus ſuam operam probare.

Similem conatum ſequentis anni fortuna oppreſſit. Decreuerat enim LESSINGII V. Cl. Minnam, quae modo iuris publici facta erat, dare ſpectandam: erant iam diribitae perſonae, et verba iam memoriae mandata, quum, praeter exſpectationem omnium, res interrumperetur.

1767 Ducit iam nos narratio in eum annum, qui ſane inter acerbiſſimos triſtiſſimoſque b. viri eſt numerandus. Percuſſit enim virum optimum caſus inopinatus, et acerbus, cuius ſi omnes cauſſas vellem ſedulo et accurate commemorare, maximam inuidiam contraherem, qua optimus quiſque libenter ſuperſedebit, niſi ſit propter virtutis cauſſam ſubeunda. Mittam igitur triſte hoc negotium, neque de puero, ob cuius poenam inflictam in iudicium vocatus fuit, neque de concomitantibus hoc iudicium rebus verbum amplius addam. Sufficiat, hoc tantum meminiſſe, fuiſſe eum ex SCto coactum, vt ſe per tres menſes munere ſuo abdicaret (p). Non dee-

rant

n) ſiue *das Coffeehaus*, fabulam magni nominis.

o) Erat nempe Feſcennina illa, *der Herzog Michel*, propter τὸ ἠθικὸν tamen non contemnenda.

p) Prodiit h. t. Anonymi epigramma:

*Proſequimur Tua fata pio, doctiſſime, fletu*

*Et*

rant, qui fatum optimi viri inique ferrent et palam lugerent. Qua vero ipſe aerumna adfectus fuerit, quo contriſtatus ſit dolore, vel tacente me poterit intelligere, quiſquis non ad omnem ſenſum humanitatis obduruit. Tulit tamen et hunc caſum fortiter, et ſine querimoniis, quae certe inutiles futurae fuiſſent, quum pro compertiſſimo haberet: *viro bono et ſapienti nihil poſſe mali accidere* (q). Videtur tamen illa timiditas, quae eum in reliqua vita numquam penitus deſeruit, et aliqua etiam valetudinis imminutio et infractio ex hoc inde tempore eſſe repetenda. Interim aliquid ſolatii in eo quaeſiuit, vt nobis, hoc ſuo caſu quam maxime adflictis, geographiam mathematicam traderet, exhibente ad hunc vſum globos ſuos adfine meo GEORGIO GVENTH. FRID. RIEMANNO, qui Senatui a conſiliis eſt, et vrbi a ſecretis. Quum tamen, deficientibus ad totius rei ſcholaſticae adminiſtrationem propter ſenectutem b. FABRICII viribus, poena ea in Gymnaſii perniciem videretur inflicta, ita ea eſt deinde mitigata, vt duobus menſibus elapſis ad priſtinam dignitatem reſtitueretur.

Quoniam nunc eum annum ingredior, in quo, propter pa- 1768
ratum Gottingam abitum, rerum narrandarum eſſe teſtis et ſpectator deſii, in reliqua vita exponenda breuior ero. Vtar tamen litteris, quas beatus vir, pro vnica noſtra conſuetudine, crebras ad me dedit. Erat ipſi in hoc anno, vergente ſenis FABRICII vita ad finem, totius Gymnaſii clauus fere ſoli regendus. Functus tamen

 eſt

*Et luctu ſquallens noſtra Camoena gemit.*
*Sed quid lugemus? quem non vaga fulmina terrent?*
*Vir bonus et ſapiens ſtant, vt acuta ſilex.*
*Opprimitur numquam virtus ſub fulmine preſſa,*
*Atque inter fluctus ſufficit ipſa ſibi.*

q) mirifice ipſi ſemper placuit haec ſententia: *il n'y a point de condition au monde, qu'on ne puiſſe rendre glorieuſe, ou par ce, que l'on y fait, ou par ce, que l'on y ſouffre. cf. Memoires de la Reine Chriſtine de Suede,* et b. *Abbt vom Verdienſte p. 43.*

eſt et hoc, grauiſſimo ſane et moleſtiſſimo, munere ea, qua ſemper ſolitus erat, animi in Deum religione, et in patriam pietate, ſpe fretus, fore, vt Deus, rerum ſuarum arbiter, qui eum in hanc vitae et muneris ſtationem collocaſſet, et in his negotiis gerendis ipſi vires largiretur. Multa ipſi fuerunt ſub huius anni exitum obeunda rerum diſcrimina, quum b. EINIKE, Gymnaſii collega ſecundus et Cantor, qui nos prima Graecae linguae elementa docuit, fatali illa lite, ciuibus meis nota, neque hic ad declinandam inuidiam repetenda, impediretur.

1769 Placuit tandem ſummo Numini, vt ſenem FABRICIVM, quem pro eruditionis ſuae copia nunc adhuc colimus, anni ſubſequentis ipſis calendis Martiis, a vitae huius ſtatione iuberet decedere. Ambiuit b. vir, ſpe dubius, quoniam, etſi plurimorum in gratia eſſet, tamen in quorumdam ex proceribus offenſione erat, vacuam Rectoris ſpartam. Per plurima tamen collegii Seniorum ſuffragia Rector eſt deſignatus. Vocatus eſt ſolemnibus litteris a Senatu ampliſſimo ad occupandum hunc in ſchola locum III. Nonas Junias, et oratione aditiali *de honeſto magiſtri in pueros amore* IIII. Idus Octobres munus nouum auſpicatus eſt, excipiens ERNEST. CHRIST. OSTERMANNVM, virum ſumme reuerendum, qui, in hac panegyri Senatus orator, ſecundum Sti. Pauli ad Rom. XII. 8. dictum *de Gymnaſii Rectoris officio* exponebat. Adiit eodem die ſecundum docendi locum collega b. viri amantiſſimus, nobis amiciſſimus, CHRIST. FRIDR. POPPE, Nordhuſanus.

Magna totius vrbis laetitia fuit, quum, fuiſſe HAKIVM ſuum ad Rectoriam dignitatem euectum, fama percrebreſceret. Seniores, de prole ſua antea anxie cogitantes, bene nunc ſecum et cum ſuorum ſalute agi animaduertentes, et praeclara omnia ſperantes, ſpem ſuam et bonam voluntatem ipſi ſunt profeſſi. Juniores, *nunc tandem ſuae ſe non poenitere fortunae*, laetabundi clamare, *quum patrem*

*nacti*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-800687-p0028-5

*nacti ſint vrbis et ſaeculi dignitati parem, ſalutis omnium ſtudioſum, ſalua auctoritate indulgentem, cuius neſcire ſe,* addere, *num magis admirarentur ingenii feſtiuitatem et elegantiam, an morum ſanctitatem et animi ſuauem lenitatem.* Laeto tubarum tympanorumque ſonitu per vrbem incedentes, omnem fere ciuitatem in ſua gaudia trahendo, domum cinxerunt, et, miſſo ad nouum patrem ex ſuis interprete, publice ipſi ſunt gratulati. Qui vrbis moenia circumcolunt, eodem gaudio ſunt moti et adfecti. Ille contra, aliquam forte iam tunc habens rerum futurarum ſenſum et diuinationem, certe humanae ſortis imbecillitate tactus, quo laetior corona erat, qua ſe ſeptum videbat et ſtipatum, eo fuit triſtior et animo fractior, inter vniuerſae ciuitatis verba et carmina bene ominata, inter collegarum fauſtas acclamationes, inter ſtudioſae iuuentutis, ab eius nutu nunc pendentis, ingenuum et bonae ſpei plenum gaudium, vltra fidem hoc laeto die contriſtatus fuit et defixus (r): non neſcius, quantum in humeros ſuos hac luce imponeretur oneris, quum ipſi nunc omnes fere diſciplinae, quae ſolet iniuſta fere eſſe

 de

r) *Sie unterhalten mich,* ſcripſit ad nos menſe Nouembri, *in Ihrem letzten Briefe mit ſo mannichfaltigen und ſo angenehmen Neuigkeiten, daſs Sie wol ein Recht haben koennten, gleiches von mir zu fordern. Ich gebe es Ihnen gerne zu, und habe es nicht verſchwohren, Ihnen bey Gelegenheit alles zu berichten, was ſich der Muehe belohnt, und ſo gut ich es kan: aber wollten Sie wol meine Einfuehrung im Ernſte mit hieher rechnen? Stellen Sie ſich einen Tag vor, wo die Neugierde mehr Leute, als gewoehnlich, in unſrer Schule verſammlet, mich, verlegen, die Rolle einer Hauptperſon zu ſpielen, geruehrt von ganz andern Empfindungen, als man vermuthete, in einem Embarras, in welchem mich weder meine Gemuethsart, noch meine Faehigkeit hinlaenglich unterſtuetzen konnte, ſo koennen Sie ſich ohngefaehr den Actum vorſtellen. Der Abend kam bald herbey; und darauf entſtand mir zu Ehren ein groſſer Lermen, welchen man eine Serenade nannte. -- Sehen Sie, das iſt es alles. Mehr habe ich nicht dabey gedacht, wie koennte ich Ihnen mehr davon ſchreiben?*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-800687-p0029-4

de Rectore apud nos exſpectatio, et pleraeque linguae eſſent tradendae et docendae, ipſi tamen non contigiſſet proſperrima, neque FABRICIANA, valetudo. (s) Nec ignorabat vir acutus, *quanta*, vt ait Quinctilianus (*II. 3, 2. ed. Geſn.*) *in eluendis, quae ſemel inſederint, vitiis difficultas conſequatur, quum geminatum onus ſuccedentes premat.* Spe tamen auxilii diuini fretus ſuſcepit et hoc munus, quanta poterat, fiducia et animi laetitia, quae viris bonis deeſſe raro ſolet. Omnem nunc ſuam operam in eo poſuit, vt omnes labes, quibus infecta eſſet longo inde tempore, a ſchola ſua elueret, et perniciosiſſima mala radicitus exſtirparet. In hoc ſuo laudabili negotio, aduerſa quidem valetudine, quae nunc infirmior eſſe coeperat, ſaepe retardatus, eo tamen peruenit, vt Gymnaſium ad priſtinam dignitatem ſenſim ſenſimque redire animaduerteret. Erat frequentia exterorum, et ea ciuium in hoc viro fiducia, vt intra biennium illud, quo Lyceum ſapientia et virtute ſua moderatus eſt, numerus primae claſſis, qui infra XX conſtiterat, vſque ad XXXX fere adſurgeret. Erat inter omnes collegas concordia, et vna fere ad communem vtilitatem promouendam animorum contentio et certamen. In primis eminuit, et aliorum oculos in ſe traxit vinculum illud, quo Rector et Conrector, non ſolum officiorum neceſſitudine, ſed etiam animorum concordia, coniuncti cernebantur. Inibant in commune de Gymnaſii ſalute conſilia. Exhibebat alter, quae alteri deeſſent. Vt ne verboſior ſim, quum amicus noſter bibliothecae etiam Gymnaſii augendae omnes ſuas curas, nec ſine ſucceſſu intenderet, et auctoribus OSTERMANNO et LESSERO, venerandis maxime Gymnaſii Inſpectoribus, concilia illa priuata, quibus per

s) *Mein Anfang in dem angetretenen Rectorate iſt leider ſehr boeſe geweſen. Eben an dem Tage, an welchem ich zum erſtenmale meine Stunden halten ſollte, ueberfiel mich eine Colik, die mit Obſtructionen verbunden war, vor welchen ich mich noch zu fuerchten Urſache habe*, ad nos ſcripſit paullo poſt.

per ſingulas ſeptimanas de rebus ad ſcholam pertinentibus ageretur, reſtauraret, erant praeclara quaeque exſpectanda et ſperanda. Sed *o fallacem hominum ſpem, fragilemque fortunam, et inanes noſtras contentiones! quae in medio ſpatio ſaepe franguntur et corruunt, et ante in ipſo curſu obruuntur, quam portum conſpicere potuerunt!* (t) Scilicet quo primo adminiculo erectum iterum erat, eodem innixum Rectore Gymnaſium non diu, proh dolor! ſtetit. Placuit enim Deo ter Optimo Maximo hunc iuniorem militem ſtatione ſua auocare, et totam vrbem grauiſſima triſtitia et acerbiſſimo dolore percellere. Quae enim iam antea adfecta paullo erat, nunc ita corrupta eſt valetudo, vt quarto poſt morbi prima initia die VIII. Febr. CIↃIↃCCLXXI mortem ipſi contraheret, nato XXXVIII annos. Tradam morbum et mortem experientiſſimi LERCHII, medici, verbis, qui, quae eius eſt erga omnes humanitas, ea ad me miſit, quae ſequuntur:

*Es iſt mir aufgetragen worden, von den Krankheitsumſtaenden des ſeligen Hrn. Rectors Hake einige Nachricht zu ertheilen. Ich melde alſo davon folgendes:*

*Wenn man den ſeligen Herrn Rector nach ſeiner gehabten Leibesconſtitution betrachtet, ſo war ſolche allerdings widernatuerlich zu nennen, und man konnte demſelben ſchon dieſerhalben kein hohes Alter prophezeyn; maſſen die obern Theile des Koerpers ungleich mehr, als die untern zugenommen hatten, und alſo eine ungleiche Austheilung der Saefte deutlich zu merken war. Bey der ſitzenden Lebensart deſſelben wurde eine beſtaendige Vollbluetigkeit unterhalten, und es war daher nicht zu verwundern, daſs die vielen zaehen Saefte, beſonders im Unterleibe, ins Stecken gerathen wollten; wie denn derſelbe als Conrector verſchiedene Anfaelle von heftigen Kraempfen des Unterleibes* (Colica ſpaſmodica ſanguinea cum obſtructione alui) *erlitten. Eben dieſe Beſchwehrungen fanden ſich noch im Wintermonathe 1769 ein, und waren ſehr hartnaeckig. Es wurde aber bis dahin unter goettlichem Seegen, und bey ordentlichem Gebrauche dienlicher Mittel, wobey wegen drohender Entzuendungen ein widerhohltes Aderlaſſen ein vieles*

t) *cf. Cicer. de Orat. III, 2, 7. ed. Ern.* loco moratiſſimo.

*vieles thun muſste, noch immer Huelfe geſchaft. Von der damals geweſenen Gefahr ueberzeugt, ſchrieb mir derſelbe nachmals:*

„ Ich weiſs es, daſs ich fuer Dero — Bemuehungen nicht dankbar genug ſeyn
„ kan. Da Sie mir nicht erlauben wollen — ſo bitte ich Sie, die aufrichtig-
„ ſte Erkaenntlichkeit meines Herzens — anzunehmen. Vielleicht bin ich
„ niemals im Stande, Ihnen einige Gegengefaelligkeiten zu erweiſen; aber ich
„ werde jede Gelegenheit dazu aufs begierigſte ergreifen, der ich &c. „

*Es waehrte ſeitdem ueber ein Jahr, daſs ueber dergleichen Beſchwehrden keine ſonderliche Klage war; zu Anfange des jetzigen Jahres aber, da derſelbe bey gewiſſen Gelegenheiten mehr, als gewoehnlich, eſſen und trinken, und dabey lange ſitzen mueſſen, darauf auch Gelegenheit zu heftigem Aerger war, fiengen beſagte Beſchwerden von neuem an, allmaehlig aufzuwachen, ſolchen wurde aber bey einem verdrieſslichen Weſen laenger, als ſonſten, nachgeſehen, und war der Herr Patient nur froh, daſs jedesmahl wenigſtens der Verſtopfung des Leibes abgeholfen wurde. Endlich kam zu Anfange des Hornungs das Uebel heftiger, und obgleich ein wiederhohltes Aderlaſſen geſchahe, auch einige Clyſtiere, nebſt verſchiedenen innerlichen Mitteln zu Hebung der nach Beſchaffenheit des weggelaſſenen Blutes ſattſam vorhandenen Entzuendung, angewendet wurden, ſo geſellete ſich dennoch zu den Schmerzen des Unterleibes eine gaenzliche Verhaltung des Urins, welche in Betracht aller Umſtaende in den Nieren ihren Grund hatte, ſo, daſs kein Urin daſelbſt abgeſchieden wurde, und alſo auch keiner zur Blaſe kommen konnte, auch in dieſer Gegend nicht die geringſte Erhoehung, und eben ſo wenig ein Trieb dahin vorhanden war.* (Iſchuria renalis) *Dieſer gefaehrliche Zufall wurde aber leider! die erſten 2 Tage, als unentbehrlich verſchwiegen, bis es den Herrn Patienten befremdete, daſs das viele verordnete Trinken keinen Ausweg finden wollte; und nun war erſt zu begreifen, warum zugleich der Herr Patient in ſeinem Gemuethe ganz ungewoehnlich zerſtoehret, und zum ordentlichen Gebrauche der verordneten inner- und aeuſſerlichen Mittel, naemlich der Clyſtiere und Baehungen, gar nicht, wie ſonſt, aufgelegt war, desgleichen, woher es kam, daſs ueber ein unertraegliches Juecken am ganzen Koerper geklaget, und deswegen hin und wieder aengſtlich gekrazt wurde. Durch den Urin werden, wie bekannt, und unter andern in den Werken des groſſen* van Swieten *zu leſen,* (u) *die ſcharfen ſalzig-*

u) Comment. in H. Boerhaave Aphoriſm. de cogn. et cur. morb. T. I. p. 124. Vrina ſales ſanguinis nimis acres factos eliminat de corpore: vbi ergo a quacunque cauſſa vrinae ſecretio vel excretio impeditur, non fit haec ſanguinis

*ſalzigten Theile des Blutes aus dem Koerper geſchafft; wenn alſo, es geſchehe, aus welcher Urſache es wolle, die Abſcheidung oder Wegſchaffung deſſelben verhindert wird, ſo unterbleibt die Reinigung des Blutes von beſagter Schaerfe; dieſe aber wird alsdenn durch die Lebensbewegungen ſelbſt alle Augenblicke in ihrer Wuerkung vermehrt; hieraus entſpinnet ſich in den zarteſten Gefaeſſen, nehmlich des Gehirns, und beſonders des kleinen Gehirns, eine gaenzliche Zerruettung, und daher entſteht nach einer anhaltenden Verhaltung des Urins eine Schlafſucht, ein Irrereden, und endlich der Todt. Alle dieſe betruebten Folgen fanden ſich hier leider! bey 4taegiger gaenzlicher Verhaltung des Urins nach und nach ein. Auch die Gefaeſſe und Nerven des Magens wurden ebenfalls von dem Urinhaften Blute ſehr gereizet, und daher entſtand, ſchon den zweyten Tag nach Verhaltung des Urins, ein oefterer Schlucken,* (ſingultus) *wobey diejenigen Mittel, welche die Wege eroefnen ſollten, mehrentheils weggebrochen wurden, und die weitern Clyſtiere, nebſt Zugpflaſtern an den Waden, ebenfalls vergeblich waren. Und ſo ſtarb dieſer ſo ungemein geſchikte Schullehrer, der von allen ſeinen Untergebenen beweinet worden, und der allen ſeinen guten Freunden unvergeſslich bleiben wird.*

Nordhauſen im Auguſt 1771. D. Ant. Fridr. Lerche.

Ita beata anima corporis molem, qua deprimebatur et impediebatur, reliquit et coelum, vnde venerat, repetiit inter preces venerandorum virorum, OSTERMANNI et fratris. Reſtat, vt quae pie defuncti amici in docendo fuerit ratio, quae animi indoles, et quae ſcripta poſt ſe reliquerit, breuiter nunc et candide exponam. Erit haec narratio iucundiſſima ſimul pueritiae meae ſub eius moderamine tranſactae recordatio.

Erat quidem in Romana oratione vtraque, pedibus alligata et ſoluta, peracutus, caſtigatus, terſus et elegans. In docendo referebat



guinis depuratio. Haec acrimonia ipſis vitae actionibus omni momento augetur: hinc in tenerrimis vaſis, cerebri nempe et cerebelli inprimis, laeſio apparet; et ideo poſt Iſchuriam diuturnam, ſopor, delirium, mors — Ib. p. 131. Qui vrinae ſuppreſſione pereunt, ante mortem cerebri functiones habent omnes; tandem lethali ſopore placide moriuntur. — Videtur tunc acre retentum, in ſanitate per vrinam excerni ſolitum, deſtruere tenerrima haec (cerebri nempe) vaſcula.

bat plura ad lectionem curſoriam, quam ad ſtatariam, in qua nimiam regularum molem cum immortali Geſnero (x) fatebatur retardare et obtundere iuuenum animos; tamen puerorum imbecillitas, curſoriae lectioni impar, eum ſaepe coegit, vt inuitus lento gradu incederet. In poetis Romanis erat verſatiſſimus, et ibi habitabat fere. Imo pectore perſentiſcebat HORATII nunc Odarum numeroſam maieſtatem, nunc Sermonum vrbanam elegantiam, nunc Epiſtolarum familiarem et iucundam negligentiam. VIRGILIVM paene ex animo recitare poterat, et HEYNIANA editione admodum recreabatur, licet ſecundo volumine vti ipſi nondum licuerit. In iudicando tantam ſibi crebro vſu et naturae quadam felicitate comparauerat ingenii aciem, vt, ſi quis ipſi verſus aliquos vel Latinos, vel vernacula lingua compoſitos, praelegebat, ille ſtatim ſine lectione et inſpectione, per ſolam auditionem arbiter eſſe poſſet, num qua ſyllaba eſſet longa poſita pro breui, et vice verſa, an lux deſideraretur in aliquo verſu, aut eſſent recidenda quaedam ambitioſa ornamenta. In Graecis ſaepe conquerebatur eſſe tantam bonarum editionum raritatem! quae enim pro bonis iactarentur, vel non eſſe, vel eſſe nimis fere caras, quam, vt ſtudioſae iuuentuti, cui tamen eſſet quam maxime danda opera, iis conſulatur. Quam tamen adquirere poterat Graecorum auctorum copiam, ea ita vtebatur, vt a viro, tanto boni pulcrique ſenſu praedito, poterat exſpectari. Tenebatur maxime HOMERI lectione, vt omnes ſolent vere humaniorum litterarum ſtudioſi, et quidem eo magis, quo molliorem a Deo acceperunt animum. In patria lingua erat verſatiſſimus, et non ſolum crebro exercitio ſibi habitum quemdam recte ſcribendi comparauerat, ſed etiam regulas exquiſitiores ſubtilioreſque e GOLDHAGIANA inſtitutione abſtulerat, et ſui animi meditatione adſecutus erat. Teſtantur hoc eius carmina, quorum infra aliquam copiam

faciam

x) *in praef. ad Liuium Clerici rec. Lipſ. 1735. 2 voll. 8.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-800687-p0034-8

faciam, et in b. RIEMANNI obitum habita laudatio funebris. Quomodo oratoriam artem et poeticam tradiderit, id poteſt ex iis, quae attulimus, iam perſpici. Neminem regulis obruebat, ſed ad exempla et propriam lectionem iuuenum animos adſuefaciendos cenſebat, non ignorans, eſſe omne iter pueris per praecepta impeditum, per rerum contra exempla expeditum. In Theologia et Philoſophia plurima retulit ad mores iuuentutis emendandos: regulas enim arbitratus eſt et rationes ſubtiliores poſſe a Lyceis abeſſe, quum litterariae vniuerſitates iis abundent; ſi quid vero in moribus corrigendis a ludi litterarii magiſtro omiſſum ſit, id deinde non facile poſſe reſarciri inflictum damnum, quoniam habitum prauum deponere, aeque ſit difficile, ac ſi quis naturam velit expellere. Qua religione animi ſanctiſſimam de Deo doctrinam tradiderit, quum poſt meum demum abitum Rectoris munus conſequutus ſit, et Conrectori alia ſint tradenda apud nos, equidem non poſſum iudicare: feciſſe tamen mente caſtiſſima, neque ſine auctoritate, ſpondet et anterior viri virtus, et certiorem me ea de re fecerunt, qui ipſum poſt me audierunt. In rerum geſtarum hiſtoriis et orbis terrarum deſcriptione non erat rerum minutarum ſectator et venator, ſed tenerioribus animis velut totius vniuerſi tabulam ſtudebat inprimere, ſecutus in hac re ſummorum virorum praecepta, et ſuum internum ſenſum. Contemnendos putabat et e ſcholae ſacrariis fere abigendos, qui, quidquid in buccas veniret, perbelle garrirent, et ſatis ſuperque crederent ſufficere, ſi horam tantum loquendo abſoluiſſent. Ipſe, quo melius aliquis diſciplinae ambitum peragrauerit, et mente tenuerit, eo felicius eum poſſe diſciplinae eius tradere elementa, bene edoctus, numquam in auditorium venit, niſi praeparato animo, et, quid dicturus ſit, antea probe meditato. Fluxit ex hoc puro fonte copia illa dicendi, et rerum lucidus ordo, quo numquam, quod ſciam, deſtitutus fuit. In actibus, quos vocant, oratoriis, quorum

complures, ex quo Gymnaſium rexit, inſtituit, magna eius diligentia conſpicua fuit, quae partim in eligendis argumentis verſabatur, partim in diſponendis rebus, partim etiam in elocutione, cui quam maxime ſtudendum ludi litterarii magiſtro putabat. Argumenta quidem orationum habendarum modo petiit ex doctrina morum, vt iuuentus hac via regulis ad vitam communem neceſſariis imbueretur, vbi non diſſimulauit, multum ſe debere S. V. IO. PETRI MILLERI, praeceptoris noſtri aeternum colendi, libris, modo ex rerum omni tempore geſtarum hiſtoria, vt hac ratione, laudabili ſane et commendanda, pueri magnorum virorum ſententias, morem, indolem et naturam ſibi iterum iterumque imprimerent. Quod vero ad diſciplinam attinet, quam ſtrenue, tamen honeſte, exercendam Rectori ſcholae cenſebat, omnem adhibuit operam, vt in hac parte nihil in ſe deſideraretur. Saepe circumiit reliquas claſſes, inueſtigando et ſcrutando puerorum ingenia, ſimul, quid in quoque praeceptore eſſet reconditum vel eruditionis vel virtutis, probe inquirens, non tamen tam aſpere, vt collegae, aut aliorum inuidiam ſibi contraheret, aut, ſi quid in aliquo deprehenderet minus laudandum, praeſentibus pueris in eum aliquid grauius ſtatueret, aut oratione eum inceſſeret. Quo minus tale quid patraret, honeſtate ſua, et quadam natiua elegantia impediebatur et vrbanitate. Habebat etiam tabulas quaſdam, in quas omnes vel ciuium erga diſcipulos et vice verſa, vel praeceptorum in auditores, vel parentum in liberos aut accuſationes iuſtas, aut criminationes et cauillationes ſedulo referret, quarum quidem ope talia opportunius, quam extemplo fieri poteſt, et accuratius inquireret. Hanc vero diſquiſitionem non, vt multi ſolent, diſtulit velut ad calendas Graecas, ſed rem celeriter inueſtigauit, quippe qui magna ſagacitate praeditus erat, vel aliorum lites ſecandi, vel malitiam retegendi, vel petulantiam compertam puniendi. Tulit etiam huius acrioris diſciplinae fructum

ampliſſi-

ampliſſimum ſane et exoptatiſſimum. Auctus eſt omnium claſſium, in primis vero primae, frequentia etiam exterorum, numerus. Non autem ambiendo et prehenſando ſingulos captabat popularem auram, neque iactando, et vltra, quam par eſt, laudando vires et eruditionem ſuam; ſcurrari putabat, qui ita facerent: ſed virtutis ſuae fama hanc ſcholae laudem et gloriam parauit. Inter ſuos diſcipulos numerari noluit vitiorum ſordibus ſe inquinantes, etiamſi ſummo loco nati eſſent; virtutis vero gratiam habentes indulgenti et paterno animo ſuſcepit. Erga collegas omnes fuit vir bonus et amicus, omnes ſuis beneficiis officiiſque ſibi deuinciens; erga Conrectorem, collegam arctiori vinculo ſibi coniunctum, integerrimus, amiciſſimus, conſiliis et re ipſa ipſum adiuuans. Legum erat cuſtos, quo alter vix vigilantior, de nouis referendo ad Senatum et rogando Inſpectores, antiquas autem leges a parentum cauillationibus et puerorum laſciuia defendendo. Diſcipulorum ſuorum fuit alter pater, obſequioſus erga omnes, conſiliis neminem deſtituens; virtutem ſi quis ipſi ſuam probaſſet, erga eum interior amicus, omnia ſemper referens ad virtutem. Ipſorum gratiam et ingenuum amorem ſibi adquiſiuit et conciliauit, non indignis et ambitioſis blandimentis, non indulgentia flagitioſa, non ſcurrilitate turpi, ſed eruditionis inſtitutioniſque fide, vitae ſanctitate, frontis grauitate. Erga Deum fuit religioſiſſimus, ſanctaeque Chriſtianae religioni addictiſſimus. Cubitum iiſſe numquam dicitur, niſi reddita ante exacte Deo praeterlapſae diei ratione. Sua non publicis anteferens commoda: primo apertus animo, deinde magis clauſus et ſilentium tenens: permodeſtus et in cathedra et in vita communi: de propria laude ne ſyllabam quidem protulit: non excitans in pueris diſcendi cupiditatem valetudinis deſtructione demum finiendam, nec tamen ſtuporis et inertiae ſuaſor. Nemini, quod audierim, inuidit, laudator eorum, quae in aliis eſſent laudanda. Inimicus omni



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-800687-p0037-5

diſſimulationi, quam naturae quodam inſtinctu horruit. Eius conſuetudo fuit omnibus vtilis et bonae frugis plena, fuiſſet magis, ſi bonus vir minus animo timidus fuiſſet. Fuit in primis perutilis eius conſuetudo et praeſentia iis, qui eius menſa vtebantur, quos quidem inter coenandum et prandendum ad virtutem eſt adhortatus. Quum tamen, quod HORATIVS rerum humanarum ſollers ſcrutator et ſpectator (y) ait, *nemo ſine vitiis naſcatur, et optimus ille ſit, qui minimis vrgeatur,* videri forſan poteſt in ipſo timiditas nimia reprehendenda eſſe, quae ſaepe in ſuſpicionem quamdam ſeueriorem abiit, et aliqua ad iram animi propenſio. Sed num haec a rebus aduerſis, quibus depreſſus erat animus, an aliunde venerit, penes alios ſit iudicare.

Reſtat, vt de b. viri ſcriptis pauca addam. Sunt illa nec multa, nec voluminoſa, ſi quidem a viro tot tantiſque laboribus oppreſſo, ab inſtructiſſimae bibliothecae opibus remoto, et flore aetatis defuncto, talia exſpectari non poſſunt. Nec fere poteſt ludi litterarii magiſter, ſi demandata prouincia cum fide defungitur, multa ſcribere, quae in publicum prodire mereantur. Eſt mihi narratum a b. HEDERICI auditoribus, eum inter docendum ſaepe conſtitiſſe, conticuiſſe, et, extracta tabula, ea primum litteris conſignaſſe, quae memoriae ſuccurrerant ad librum, quem ſcribendum inſtituerat, pertinentia. Edidit vero noſter, praeter multa partim in *Indicibus Francohuſanis*, partim etiam Nordhuſae typis exſcripta carmina, ea, quae ſequuntur:

1) *Vollſtaendige Nachricht von den Feyerlichkeiten, welche in der Kaiſerl. freyen Reichsſtadt Nordhauſen wegen des Hubertsburgiſchen Friedens vom 15. Febr. 1763 angeſtellet worden, aufgeſetzet auf Begehren. 4. mit Kupfern.*

2) *Rede bey der Beerdigung des ſeel. Hrn. Buergermeiſters, Chilian Volkmar Riemanns. Nordhuſ. 1763. fol.*

3) De

---

y) *Serm. I, 3, 68, 69.*

3) *De remediis quibuſdam ad leuandum diſcendi laborem non temere adhibendis, progr. aditiale, 4. 1769.*

4) *Von der Luſt zum Studiren, progr. 1770. 4.*

5) *De parentum in liberos, ſcholarum publicarum diſciplinae traditos, poteſtate, progr. 1770. 4.*

6) *Von der Achtung, welche wuerdige Schullehrer in den untern Claſſen verdienen. progr.*

7) Habebat etiam in animo *hiſtoriam de ſacris Nordhuſae per b. Lutherum purgatis* concinnare, quoniam ſibi perſuadebat, multa ſe inuenturum et ſcripturum, quae minus nota eſſent. Cauſſam, cur Nordhuſa ſe tam mature ad LVTHERI partes adiunxerit, inueniebat in eo, quod ille, qui, quod aiunt, reſpondentis partes in ſe ſuſceperat, in celeberrima illa *ſuper indulgentiarum vi* diſputatione, FRANCISCVS GVENTHERVS Nordhuſa oriundus fuerit, qui ſcripta LVTHERI mature cum ciuibus ſuis communicauerit. (*Nordh. illuſtr. p. 82.*)

Haec fere ſunt, quae de ſummo amico meo non plane ingrata fore ſperabam cariſſimis meis ciuibus eorumque poſteris, ſi a me perſcriberentur. Si quid mihi inuito, quod tamen nolim, in hac qualicumque ſcriptione exciderit, quod alicui vituperatione et inuidia dignum videatur, illum etiam atque etiam rogo, nolit mihi, quae fides narrationis a me poſtulauit, vitio vertere, et cogitet, me de illis rebus non penitus tacere potuiſſe, quae tota ciuitas nouit, et forſan, me tacente, alius magis auxerit et exornauerit. Vtinam ſemper tanti viri memoria ſacra ſit dulciſſimae patriae! Scrib. in alma Georgia Auguſta ipſis calendis Septembribus CIƆIƆCCLXXI.

---

*Vrit enim fulgore ſuo, qui praegrauat artes*
*Infra ſe poſitas: exſtinctus amabitur idem.*

HORAT.

SEQVVN-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-800687-p0039-9

SEQVVNTVR
# IOANNIS CONRADI HAKII
## ODAE QVAEDAM
QVAE A ME
EO CONSILIO SVNT ADIVNCTAE,
VT DE INGENIO EIVS POETICO INDE IVDICIVM
FIERI POSSIT.

## I.
### CARMEN ADITIALE,
QVOD POST LATINVM E CATHEDRA PRONVNCIAVIT,
1762.

Vergebens ſtimmt die kuehne Leyer
In Latiens Toenen meinen Dank;
Ein Gott, ein Gott winkt mir voll Feuer,
Und ſchillt den Roemiſchen Geſang:
Undankbarer! wem willſt du ſingen?
Sieh! horcht dir nicht dein Vaterland?
Auf! nimm der Deutſchen Muſe Schwingen!
Weg Saiten Roms aus meiner Hand!

Flieſs aus in feurigern Geſaengen
Mein Herz, von Dankbegierde voll!
Gieſs aus die Freuden, die dich draengen!
Dank, Liebe ſey iezt dein Apoll!
Ich will nicht Hippokrenen trinken;
Ich rufe dich nicht an, Apoll!
Ich ſeh mein Vaterland mir winken —
Schon bin ich aller Goetter voll!

O Vaterland, dein Name toenet
Sueſs, wie der Muſen Zauberklang,
Stolz, wie ein Lied, das Helden kroenet,
Sanft, wie der Tugend Lobgeſang!
Du lenkſt in deinen frohen Thoren,
Wo dein Altar, dein Tempel ſteht,
Die Kinder, die du dir gebohren,
Mit Goettergleicher Majeſtaet.

Du

Du biſt es, der der Heide kniete;
Dir brannte Veſtens keuſcher Heerd!
Das Feuer, das der Goettin gluehte,
Ward blos fuer deinen Thron genaehrt.
Dir iſt der Opfer Blut gefloſſen;
Dir hat, im Tode noch erfreut,
Sein Leben Codrus ausgegoſſen,
Und Decius ſein Haupt geweiht.

Hat ſich das Alterthum betrogen?
Hat es ein frommer Wahn bethoert?
Nein! Nein! der Heerd, der uns erzogen,
Iſt unſrer beſten Opfer werth.
Gib des Allmaechtigen Altaeren
Den erſten Weihrauch deiner Hand!
Er ſey der Erſt' in deinen Choeren,
Dein andres Lied das Vaterland!

Ihm lodern tugendhafte Seelen
Stets mit parteylichfrommer Glut;
Treu ſeinen goettlichen Befehlen
Verfliesſt ihr Leben, rinnt ihr Blut;
Ihm laufen ſie die Bahn der Ehren
Mit Schweiſs im heitern Angeſicht;
Ihm denkt der Weiſe, ihm gehoeren
Die Lorbeern, die der Held erficht.

Ihm wacht in Sorgenvollern Naechten
Der Vaeter (*) Ehrfurchtswuerdge Reih,
Muth und Entſchloſſenheit zur Rechten,
Zur Linken Iungfraeuliche Treu.
Ihm iſt des edeln Buergers Buſen,
Sein Arm, ſein Fleis, ſein Muth geweiht,
Der edelſte Geſang der Muſen
Singt ihm zuerſt Unſterblichkeit.

F Und

*) Conſules innuit, qui huic ſolemni panegyri cum aliis Senatoribus intererant.

Und du, du winkeſt deinem Sohne
Mein Glueck, mein Stolz, mein Vaterland?
Du reicheſt mir von deinem Throne
Die ſanfte muetterliche Hand?
Du ziehſt mich zaertlich in den Reigen,
Der deinen Pindus lehrend ſchmueckt?
Wie ſoll ich dir die Ruehrung zeigen,
Die meine frohe Bruſt entzueckt!

Nimm hin mein Herz! nimm hin mein Leben!
Mein Herz, mein Odem iſt nicht mein!
Was du voll Zaertlichkeit gegeben,
Dis Alles, Alles ſey nun dein!
Wenn mich die ſueſſen Muſen lieben,
Wenn einge Kunſt mir Beyfall lacht:
So weih ich dir, um ſie zu ueben,
Den Tag, die ſtille Mitternacht!

Blickt voller Huld auf mich hernieder,
Erhabne Vaeter dieſer Stadt!
Und hoert die Schwuehre meiner Lieder,
Die euch mein Herz geſchwohren hat!
Hoert Prieſter Gottes, (*) deren Lehre
Den Tempel, wie den Pindus baut!
Pflicht, feurge Neigung, Gott und Ehre
Entzuenden meiner Toene Laut,

Ergreifet einſtens, mich zu ſchaenden,
(Verhuete, Vater, dieſen Schmerz!)
Mit kalten, Schlummerſchwangren Haenden
Die Traegheit mein verderbtes Herz,
Kann ich, wenn Pflicht und Ruhm mir winken,
Der faulen, Ehrenloſen Ruh
Gemaechlich in die Arme ſinken,
Und hoer ich ihrer Lockung zu;

Begei-

*) Inſpectores, qui ſimul in Gymnaſio theologiam docent.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-800687-p0042-2

Begeiſtert meine feilen Lehren
Nicht Gott, nicht Vaterland, nur Lohn;
Werd ich durch Sitten dich entehren,
Der Muſen Schmuck, Religion!
Ihr Edlen in dem Vaterlande,
So raechet eurer Gueter Raub,
Auf meiner Urne niſte Schande!
Der Enkel ſchelte meinen Staub!

Noch laechelt mir dein Blick gewogen,
Noch hebſt du meinen Muth empor,
Du, deſſen Liebe mich erzogen,
Geſchaezter, edler Buerger Chor!
Ia! gib nun meine iuengern Brueder
Der Leitung meines Fleiſſes hin,
Damit ich zur Vergeltung wieder
In deiner Nachwelt dankbar bin.

Du Reihen, den mein Vater (*) fuehret,
Mit welcher Freude bin ich dein!
Pflicht, Freundſchaft, Dankbegierde ruehret
Mein pochend Herz, und nimmt es ein.
Mein Arm, mein Wunſch eilt euch entgegen,
O Bande ſueſſer Zaertlichkeit!
Schon haelt der Himmel ieden Seegen
Fuer euch in ſeiner Hand bereit.

Hier wars, hier horchte meine Seele
Zuerſt in Wolluſtvoller Ruh
Der Tugend goettlichem Befehle,
Den Lehrern edler Kuenſte zu.
Sey mir gegrueſst mit deinen Choeren,
Mein Pindus, meiner Iugend Glueck!
Nimm ſie, nimm die gegebnen Lehren
Von meiner Dankbarkeit zurueck.

 Komm!

*) Collegium ſcholaſticum ſcilicet, cuius primum, Fabricium, parentis loco colebat.

Komm! wandele mit mir entzuecket
Den Weg der weiſern Menſchlichkeit,
Du, Iugend, die der Fruehling ſchmuecket,
Auf deren Wink die Welt ſich freut!
O welche Freuden! welcher Seegen!
Ziel! dem mein ganzer Ehrgeiz glueht!
Wenn einſt ein Weiſer deinetwegen
Mit Beyfall laechelnd auf mich ſieht.

Du, den mein Herz zuerſt verehret,
Den jezt mein Aug' am Creuz erblickt,
Der die beſchwohrne Pflicht gehoeret,
Die meine ſchwachen Schultern drueckt,
Getreuer Hoherprieſter, wende
Dein ſtaerkend Aug' herab zu mir!
O laſs mich, laſs mich nicht! — vollende
Den Wunſch der ſchwachen Dankbegier!

Laſs mich mein Vaterland voll Segen
In ſeinen Haeuptern gluecklich ſehn!
Laſs ieden Sturm ſich ruhig legen,
Die alte Freyheit ewig ſtehn!
Gib Heyl den Hirten, die dich lehren,
Gib Heyl den Kuenſten, unſrer Luſt!
Wohl mir! du winkſt, du willſt mich hoeren —
Troſt, Hofnung lacht in meiner Bruſt!

## II.

## *DIE UNSTERBLICHKEIT.*

(*cf. Frankenh. Intelligenz-Blat 1765. 9 Stueck.*)

Weg unter meinen Fueſſen, ihr niedrigen
Mit Gold befleckten Schloeſſer der Sterblichen,
So hoch euch auch, dem Pol entgegen,
Hochmuth, der Gottesverlaeugner, thuermte!
Hinweg! ſchon waeg' ich, voll der Unſterblichkeit,
Nah bey den Thronen, wo ich einſt ſitzen ſoll,
Die neugeſchafnen geiſtgen Schwingen
Ueber den Wolken, im reinern Aether,

Den

Den Engel athmen. Siehe! weit unter mir
Rollt er dahin, der kleine verkannte Ball,
Wo Laſter herrſchen, wo die Unſchuld
Unbemerkt heimliche Zaehren weinet,
Allein hier hoerbar — denn der vergoetternde
Geſang des Poebels, den er mit feiler Hand
Auf den entweihten Saiten iauchzet,
Schallt nicht herauf zu den ſeelgern Sphaeren.
Wer leihet mir, ihr Kinder der Ewigkeit,
Die ihr, gewohnt der weiten Behauſungen,
So oft mit Irthumfreyen Blicke
Dieſe geſtirnten Gefilde meſſet,
Wer leiht mir Augen, daſs ich in ienem dort
Fern her milchfarbigt ſchimmernden Sternenheer
Den Ball bemerke, wo ich vormals
Tief im entehrenden Staube ſchwizte?
Wo ſind die Meere, welche der Koenige
Geſchwollnes Seegel pflueget? Wo fraſs der Tod
Europens Macht? Wo irren Flotten
Von dem gefraeſſigern Geiz erwartet,
Im Sturm arbeitend nah an den Muendungen
Des goldnen Ganges, oder an goldneren
Noch ungefundnen Vorgebuergen
Unter den Klippen der wildern Suedſee?
O Mueh! o Sorgen! fuer den Unſterblichen
Wie viel zu niedrig! Aber mir breitet ſich
Ein Feld vor meinem geizgen Blick aus,
Heiter, entwoelket, und unermeſslich!
Weit ueber ienen dunkeln verbrennlichen
Geſtirnen, die ihr Sonnen nennt, Sterbliche,
Wenn ihr aus euren finſtern Naechten
Tief in Betrachtung verlohrn ſie anſtaunt,
Schweb ich entzueckt auf wachſenden Fittigen
Nah an den Ufern eines unbrennbaren
Olympus, den dein Blut, Meſſias,
Uns zu unſterblichen Freuden aufſchloſs.
Gott glaenzt allein hier: nichts, als ſein Angeſicht
Entflammt die Sonnen, die ſich hoch ueber mir
In ungezaehlten Myriaden,
Wie eine Leiter Jehovens, thuermen.

Nenn ich euch Sonnen, ſeelige Wohnungen
Des ewgen Friedens? oder die Lieblingsſtadt
Des Hoechſten, der hier unverzehrend
Sich in unnennbarem Licht ergieſſet?
Ein Meer voll Wolluſt, immer entzueckender,
Stets unerſchoepft, in welches die Geiſterwelt
Sich ewig unerſaettlich taucht, und
Immer im hellern Gewand hervorblizt?
Ihr ſeyd die Stufen, die ich beſteigen ſoll!
Von ieder winken Goetter, und engliſche
Naturen zu erhabnern Freuden
Ihrer Umarmung mich einzuladen.
Ein ſueſſes Staunen faſst mich auf ieglicher
Erſtiegnen Staffel: ſeelge Jahrtauſende
Verflieſſen neben mir, wie Stunden,
Welche der Erdegebohrnen Tugend
Im ſueſſen Anblick ihres verherrlichten
Erloeſers ſchneller rinnen. Dein Blut, o Gott,
Tief unten fuer mich ausgegoſſen,
Hat mich hieher zu dir aufgeſchwungen,
Und iſt mein langes Jubellied, welches ich
Auf neuen Saiten, immer voll feurgerer
Begeiſterung dir ſinge, der du
Bruederlich auf mich herunter laechelnd
Mich ſeegneſt. Mit mir ſtimmen unzaehlbare
Geſchlechter, meine Brueder, die goettlichen
Accorde, bis der Wink des Ewgen
Uns zu den Thaten der Goetter reif ſieht —
Dort ſchwimmt ein neuer Weltbau! ihn ſang das Chor
Der Himmel; ich mit ihnen. Nun guertet mich
Die Liebe Gottes, als ein Schutzgeiſt
Juengere Brueder herauf zu leiten,
Indem ich Seelen, welche noch Daemmrung drueckt,
Gedanken liſple, oder ein heilger Traum,
Von mir geſchaffen, ihren Buſen
Zu der vergoetternden Tugend anflammt.
Bald fahr ich kuehn auf Stuermen gerueſteter
Gewitter, mit dem Flammenſchwerdt in der Hand
Ein Raecher Gottes, in die Tiefe,
Ueber den Abgrund, der vor mir bebet:

Bald leg' ich oben ſtolzer und ſeeliger
Die Krone nieder, oder verliere mich
Im unausſprechlichen Gedanken,
Welchen mein goldner Pſalter ſuchet
Halb nachzuſtammlen. Sieh! nun entfalten ſich
Des Schickſals Buecher vor mir — anbetender
Huell ich mich in Seraphſche Schwingen —
Heilig! und heilig! und heilig! toenet
Von meinen Lippen — heilig! dem Ewigen,
Der iſt, und war, und ſeyn wird, der tief herauf
Mich aus dem Staube rief, damit ich
Ewig und ſeelig hier um ihn glaenze.

## III.

## AN DEN TODTENGRAEBER.

(*cf. Frankenh. Intelligenz-Blat 1766. 13. Stueck p. 199. ſqq.*)

Dort am einſamern Huegel, beym ueberhangenden Schatten
Des ungepflegten Roſenſtrauchs,
Wartet ein ſinkendes Grab, mit niedrigen Veilgen beſaeet,
Auf mein (*) bald moderndes Gebein.
Dort, Freund, graebſt du mir einſt mit ſchwitzenden Haenden ein Lager,
Von dem mich keine Sorge weckt,
Nebſt den Schaedeln der Heiligen, die unbemerket entſchliefen,
Hin in den Lebenſchwangern Staub.
Dann begleitet vielleicht ein menſchenfreundlicher Engel,
Der hier ſchon oft um Mitternacht
Mit Gedanken des Grabes die ſchmachtende Seele begeiſtert,
Die aufgeloeſste mit Triumph
Ueber Gebeine, die du mit muehſamer Schaufel heraus wirfſt,
Hinauf zum winkenden Olymp:
Und ich zoegre — mein Auge verweilt auf meiner Verweſung;
Mein neuer Odem wird Geſang!
Denn ich ſehe nicht mehr verachteten Moder, nicht Wuermer,
Noch Huegel weiſſer Knochen voll —
Heil mir! ich ſehe den Garten an Golgatha, ſehe das Grabmal,
Das er, mein Goel, eingeweiht —

„ Sey

*) Habuit b. vir aliquam rerum futurarum praeſentionem et diuinationem.

Zl 5175 a K X 3293615



„ Sey mir gegrueſſet! mit ewigen Liedern des Himmels gegrueſſet,
„ Du Gruft, wo mein Erloeſer ſchlief!
„ Unter dir bebte die Hoelle, die grimmigen Feinde des Lebens
„ Verzagten, fuehlten nichts, als Tod,
„ Ewigen Tod — die tobende Fauſt der wilden Verzweiflung
„ Zerſchmiſs umſonſt den Flammengrund
„ Graeber zu ſuchen: im innerſten Schooſſe des gluehenden Abgrunds
„ Schloſs ſie die Quaal der Ewigkeit
„ In die eiſernen Arme — Da huepften die gruenenden Huegel,
„ Vom Staube der Entſchlafnen voll,
„ Auf der Gebeinbelaſteten Erde dem Leben entgegen,
„ Das aus den Himmeln auf ſie floſs„
Wenn ich nun neben dir ſo mit unhoerbaren Freuden verweile,
Dann, Freund, verſchlieſſe deine Bruſt
Nicht dem ſanſteren Schauer, der oft bey Graebern der Chriſten
Durch deinen weichern Buſen bebt,
Nicht den groeſſern Gedanken, die hin zur Seele ſich draengen,
Auch nicht dem Ernſte, welcher ſich
Ueber die maennliche Wange in frommer Schwermuth verbreitet,
In Zaehren, wie der Menſch ſie weint,
Der in einſamen Stunden den Jubel geſtorbener Freunde,
Sich unbewuſst, von fern vernimmt,
Und zu Freuden der Erde zu groſs, die ſchmelzende Seele
Der ſueſſern Sehnſucht ueberlaeſst.
Wiſche die Thraene nicht ab! Sie adelt dein niedres Geſchaefte
An Menſchenerde; ſie verklaert
Dein Gedankenvolleres Auge mit Hoheit des Chriſten,
Der ueber Graeber triumphirt.
Einſt umarm' ich dich hier, am Tage des weckenden Mittlers,
Am Morgen einer beſſern Welt.
Dann umleuchtet hier Graeber, die du mit Roſen bedeckteſt,
Der Schimmer der Unſterblichkeit.
Aber die Pyramiden, abgoettiſchem Stolze gebauet,
Dort am Ruhmredneriſchen Nil
Sind in Schande verſunken: auf ihre vergeſſenen Truemmern
Streckt JEſus ſeine linke Hand.

VD18

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-800687-p0048-6

QK. 246.
Zb 5175

# ELOGIVM
OPTIMI DOCTISSIMI ET
CLARISSIMI

# NNIS CONRADI
# HAKE

NORDHVSANI
VOD APVD NORDHVSANOS FLORET
QVOD EXCVRRIT ANNOS CONRECTORIS
ANNVM ET VIII FERE MENSES
RECTORIS
VISSIMI ET OPTIME MERITI

---

SCRIPTVM
S DISCIPVLO CONSANGVINEO
AMICO ET CIVE
E CAROLO VOLBORTH
I SEMINARII PHILOLOGICI
A GEORGIA AVGVSTA SODALI.

---

δ' ἀνάγκης ἀσθενεστέρα μακρῷ.

*Aeſchylus.*

---

FRANCOHVSAE
INA COELERIANA MDCCLXXII.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-800687-p0049-5